
870.5
L83

DE

SYNTAXI SULPICII SEVERI

COMMENTATIO ACADEMICA

SCRIPSIT

ET PERMISSU AMPL. ORD. PHILOS. UPSAL.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

IN PUBLICO DEFENDET

AUG. LÖNNERGREN

LIC. PHIL. VESTROG.

IN AUDIT. GUSTAV. MINORE A. D. V KAL. FEBR. MDCCCLXXXII

H. A. M. S.

UPSALIAE MDCCCLXXXII

TYPIS DESCRIPSIT ESAIAS EDQUIST

Quod in omnium fere populorum artium litterarumque studiis fieri solet, ut cum iis, quæ antea viguerint, artissimo necessitudinis vinculo cohæreant originisque, unde orta sint, multa præbeant vestigia, id compluribus Romanorum quoque litterarum monumentis comprobatur. Neque illud mirum. Ea est enim cultus et humanitatis condicio, ut perpetua quadam serie progrediatur ita, ut ætas altera alterius sit magistra. Itaque quum Romani cum Græcis commercium habere cœpissent et ab iis artium et litterarum amplissimam accepissent hereditatem, flagranti quodam amore ad illa se studia applicarunt, atque effloruit illa ætas, quæ propter excellentiam suam aurea est appellata. Brevi autem hæc laus ac præstantia inclinari cœpta est et propter diritatem temporum atque tristitiam, et quia deerant omnino Romanis teneri illi mollesque sensus, qui quidem animos ad elegantiora artificia mirifice alliciunt. Jam seculo igitur post Christum secundo litterarum orta est senilis quædam ætas, quæ nihil fere ex se ipsa pariens aut omnia, quæ ad sciendum pertinerent, tamquam inania despiceret ac remitteret aut in præstantia ætatis præcendentis acquiescens quidquid omnino litterarum studiis consequeretur, id ab illis vel aperte sumeret vel surriperet imitando. Hujus ætatis est Sul-

picius Severus, quem constat initio quinti seculi libros suos conscripsisse. Antiquorum eum egregia litterarum monumenta manu impigra versavisse et cum judicio in usum suum convertisse, scripta ejus contemplantibus facile apparet. Simplex enim et excultum exhibet dictionis genus. Qua in re imprimis Chronicorum libri ceteris præcellunt; nam in Vita Martini, in epistolis et dialogis, quibus in scriptis homines doctos minus spectasse videtur, ipse se »soloecismis non erubuisse» profitetur. Quotidiani in iis et remissi sermonis licentia sæpius deprehenditur. Neque omnino fieri potuit, quin vitiis inveteratis et quasi innatis, quibus laborabat hujus ætatis sermo latinus, a veterum elegantia frequenter abriperetur. Ac ne illud quidem silentio prætereundum puto, eum in antiquis imitandis non solum formam orationis et colorem sequi sed verba etiam locutionesque crebro exscribere et constructiones, sententias earumque nexus transferre. Neque vero in sententiis devinciendis et connectendis insignem illam antiquorum curam atque diligentiam non desideres. Nam vinculis, quibus arte inter se colliguntur sententiæ, aut sæpius, quam par est, omissis aut sine artificiosa illa varietate usurpatis orationem jejuna quadam simplicitate sæpius conformat. Maxime autem in verborum enuntiationumque structura insolita multa et nova atque ab legitimo bonorum scriptorum usu recedentia multis modis obrepunt, quæ fusius eruendi copia nobis erit in iis, quæ de Syntaxi ejus disputabimus.

In oratione ipsa editionem Halmii (Vindobonæ 1866) secuti sumus.

Pars Prior.

Syntaxis nominum, pronominum, verborum, particularum.

Substantiva.

Jam in usu substantivorum imprimis commemorandum videtur, Sulp. Severum persæpe substantiva abstracta, quæ vocantur, in plurali numero posita usurpasse; qui usus ut apud Cic. frequentissimus ita apud Cæs. et Sall. satis rarus est; inde autem a Livii ætate in sol. or. increbruisse hunc morem inter omnes constat [1]). Consuetudinis frequentia exemplis his illustratur: adulationes 2, 38, 1 (Liv. poster.), ambitiones 2, 32, 4 (Cic.) animadversiones. D 1, 7, 4 (Cic. Svet.). aquationes 2, 15, 10 (Plin.) coitiones 1, 18, 8. curationes M 16, 1 (Cic.) commixtiones 2, 3, 6. dissensiones 2, 51, 8 (Cic., Cæs., Tac.) executiones 2, 47, 5. expeditiones D 1, 22, 1. eruptiones 2, 22, 2. (Nep., Quint., Suet., Plin.) incursiones 1, 17, 2. 2, 15, 7. insectationes E 2, 12. D 1, 2, 4. D 3, 12, 3. invocationes 1, 43, 7. legationes 2, 39, 9 (Cic., Cæs., cet.). mansiones D 1, 8, 1 (Plin.) passiones 2, 32, 5. E 2, 12. persecutiones 2, 32, 2. petitiones D 3. 11, 8. (Cic.) prædicationes 2, 48, 2. professiones 2, 44, 6 et 8. subscriptiones 2, 43, 3. superstitiones 1, 43, 6. 1, 52, 3

[1]) Cfr Neue Formenlehre der Lat. Spr. pag. 434 seqq. Dræger Hist. Synt. [2] Th. I pag. 10 seqq. Kühnast Livian. Synt. [2] pag. 64 seqq. Kühner Ausführl. Gram. der Lat. Spr. Zweiter Bd. p. 55 seqq.

2, 7, 4. 2, 13, 3 et sæpe alias (Cic. Tac.) salutationes D 1, 21, 3. D 2, 1, 2. (Vitr. Gell.) temptationes M 5, 5. E 2, 13 (Cic.) vexationes 1, 1, 3. visiones 2, 7, 5. D 3, 15, 4 (Quint. Tert.). Substantivorum in -us desinentium sæpissime ablativus adhibetur, id quod perraro apud meliores sol. or. script usu venire notum est [1]). coetibus D 1, 17, 3. conventibus D 3, 13, 6. cruciatibus 2, 20, 3. E 2, 11. eventibus 1, 47, 3. fletibus E 3, 11. D 3, 18, 5. flexibus D 2, 9, 6. gressibus M 16, 8. nexibus D 1, 22. 4. occursibus D 1, 21, 3. D 2, 12, 10. plausibus E 3, 21. proventibus D 3, 7, 5. questibus 2, 13, 4. saltibus D 2, 3, 3. sumptibus 1, 46, 2. Cfr præterea aditus 2, 8, 7. (Cic. Tac. cet.) conatus 1, 38, 4. 2, 14, 2. metus D 2, 12, 9. (Cic. poster.) recessus D 1, 17, 3 (Cic. poster.). ritus 1, 52, 3. M 12, 2 (Cic. cet.). Adscribantur denique hæc exempla: cærimoniæ 1, 49, 4. 2, 20, 2 (Cic., Cæs., Liv., poster.) captivitates 2, 15, 7. 2, 30, 8 (Tac.) contumeliæ 1, 51, 1 (Cic., Tac.) culturæ 1, 51, 4 (Lact., Tert., Lampr.) desideria D 1, 12, 6. D 1, 22, 6 (Cic., poster.). dignitates 2, 27, 3 (Cic., Liv.. poster.) discordiæ 1, 26, 2. 2, 51, 8 et 9. (Cic.) doli 1, 44, 1. 2, 38, 1. episcopatus 2, 32, 4. errores 2, 2, 2. 2, 7, 4. 2, 48, 2. exilia D 2, 7, 2 (Tac.) familiaritates D 1, 9, 1 (Svet.) gloriæ D 3, 17, 4. (Sall., Tac. Auct. ad Her. Gell. Lact. Augustin.). impietates et sacrilegia 1, 52, 2. incrementa 1, 43, 5. 1, 45, 4 (Suet., Quint. cet.) iræ 1, 23, 2. D 1, 12, 3. D. 2, 12, 9. (Cic.) mortes 2, 20, 4. 2, 29, 2 (novæ mortes excogitatæ). 2, 32, 4. M 4, 8. D 2, 5, 2. D 3, 8, 1 (Cic., poster.) odia 2, 13, 2. D 1, 9, 4. D 2, 8, 3 (Cic.. Cæs. poster.) potestates D 1, 20, 3 et 8. querelæ 1, 14, 1 (Cic.) spes M 1, 3. D 3, 10, 3 (spebus) (Cic., Sall., Liv. poster.) strages 2, 32, 5 (Cic.) terrores D 1, 18, 3 (Cic. Nep. poster.).

E substantivis concretis, quæ dicuntur, in plurali numero usurpatis hæc fere sunt commemoranda: ardores

---

[1]) Cfr Neue l. l. p. 379 seqq. Nägelsbach Lat. Stil. [4] p. 152 seqq.

1, 20, 4 (Cic. Sall. Sen. Plin.) [1]) aquæ 1, 3, 3 et 4. 1, 14, 4. 1, 15, 6. 1, 16, 3 et sæpe alias (Cic. Cæs. Liv., poster.) [2]). arenæ 1, 6, 1 (arenas maris stellasque). D 1, 3, 4 (harenæ). (Liv. 22, 16, 4. poster.) [3]). Carnes 1, 20, 4 (Enn., Ov., Sen., Plin. Apul. Pallad.) [4]). ignes 1, 48, 2 (Cic. Cæs. Vell. Sen.) [5]). marmora 2, 33. 7. (Poet., Plin., Quint) [6]). pecora i. q. pecudes 1, 18, 6. D. 2, 10, 4. (Poet., poster.) [7]) pruinæ 1, 16, 6 (Cic. Cat. 2, 10, 23. Liv. poet.). [8]) ille . . . prebens terga D 2, 3, 4. (cfr Sen. ep. 22.) vestes 1, 20, 7. 1, 26, 6 (poet. poster.).

Singularis subst. concret. pro plurali sæpius occurrit et quidem collectiva significatione: hostis 1, 22, 5. perditum hominem D 1, 7, 1. tumultuante milite D 2, 6, 2. piscis D 3, 10, 1 et 3. verbum dei prædicabat M 5, 6. D 2, 4, 5. verbum salutis D 1, 22, 1 cfr D 2, 7, 5. Hoc Aethiops comperit, hoc Indus audivit, hoc Parthus et Persa noverunt D 1, 26, 2. Nonnulla horum exempl. jam apud veteres scr. hic illic reperiuntur [9]). Præterea commonemus, Sulp. Sev. more Livii, poët. poster. [10]) sing. vocis cervix semper usurpasse, nisi quum de pluribus loquatur cfr. 2, 29, 4. M 15, 1. D 2, 8, 9. D 3, 8, 2. contra cervices D 3, 13, 2.

Frequenter Sulp. Sev., ut omnes scriptores, substantiva abstracta pro concretis adhibet. Hæc fere commemoratione digna videntur: benedictio i. s. q. »res usu et contactu alicujus personæ sanctificata». D 2, 8, 9. D 2, 12, 6. D 3, 3, 5 et 6 (Paulin. Nol. ep. 32, 8. Vide Klotz.).

---

[1]) Dræger l. l. p. 6.
[2]) Neue l. l. p. 416. Kühner l. l. p. 52.
[3]) Neue l. l. p. 425. Kühner l. l. p. 53.
[4]) Neue l. l. p. 429. Kühner l. l. p. 52.
[5]) Dræger l. l. p. 5.
[6]) Kühner l. l. p. 58. Neue l. l. p. 427.
[7]) Vogel Kurze Uebersicht über den Spr. des Curtius p. 13.
[8]) Neue l. l. p. 417. Kühner p. 54. Vogel l. l. p. 13.
[9]) Dræger l. l. p. 4 seq.
[10]) Neue l. l. p. 467. Kühnast l. l. p. 66. Dræger l. l. p. 8.

conjugia i. q. uxores 1, 40, 4 (Tac. poet.) matrimonia i. e. uxores 1, 24, 2 (Tac. Justin) [1].

Pro adjectivis interdum substantiva apud Latinos usurpari res est notissima [2]. Satis raro ita fit, ut alterum simpliciter juxta alterum ponatur, velut: parricidæ filio 1, 38, 3; sæpius multo alterum ab altero pendet, qui usus, ut est poetis maxime familiaris, ita solutæ orationis scriptoribus non displicuit imprimis in sublimiore dicendi genere [3]. Hujus generis exempla sunt: verborum contumeliis pro contumeliosis verbis 1, 51, 1. ætatis infirmitas = infirma ætas M 2, 4. cfr etiam facti miraculum 2, 5, 4. D 2, 2, 7. voti necessitatem 1, 26, 6. jactantiæ tumore D 1, 10, 3. humanitas nostri hospitis D 1, 13, 7. professionis andaciam M 24, 6. de rigore propositi D 2, 7, 2. D 2, 12, 4. objurgationis verba D 2, 12, 11. verba peccati D 3, 15, 4. noctis horrore D 3, 4, 4.

Adjectiva.

Sæpissime Sulpicius Severus substantivorum loco posuit adjectiva et participia. Quum vero longum sit omnia quæ collegi exempla hic enumerare, paucis contentus ero. Masculini generis singularis numeri hæc afferantur. In nominativo: sanctus D 1, 15, 5 et sæpius, superbus D 2, 5, 9. miser M 23, 9. sacrificans 1, 18, 8. defunctus M 8, 3. adveniens D 1, 17, 8. — In genitivo: mali 1, 35, 9. minoris 1, 8, 1. provocantis 1, 34, 4. lamentantis 2, 13, 5. ferientis M 5, 4. loquentis M 11, 5. occisi 1, 2, 4. exstincti 2, 34, 4. defuncti 1, 39, 3. D 2, 4, 7. — In dativo: sancto M 23, 4. pauperi M 3, 2. dormienti 1, 28, 3. petenti 2, 13, 7. increpito 1, 40, 5. victo 1, 38, 3. — In accusativo: carum 1, 34, 6. exanimem 2, 37, 5. majorem 1, 8, 1. laborantem 1, 35, 3. viventem 1, 39, 3.

---

[1]) Kühner l. l. p. 58. Dræger Syntax und Stil des Tac. [2] p. 2.
[2]) Kühner l. l. p. 172. Dræger l. l. p. 668.
[3]) Vogel l. l. p. 15.

epulantem 1, 42, 5. cunctántem 1, 44, 4. vinctum 1, 28, 3. mortuum 1, 39, 3.

Pluralis numeri dativus frequentissime adhiberi videtur, velut: impudicis 2, 1, 5. fretis 2, 21, 6. carissimis D 1, 15, 3. paucis et calamitosis 1, 54, 7. legentibus 1, 1, 5. bellantibus 1, 17, 2. peccantibus 1, 24, 4. volentibus 1, 25, 6. poenitentibus 1, 48, 6. quærentibus 2, 15, 9. petentibus 2, 18, 6. sermocinantibus E 2, 16. flentibus . . . gaudentibus E 3, 20. insipientibus . . . sapientibus D 1, 6, 3. defunctis M 20, 6. transgressis D 1, 10, 2.

Etiam adjectiva neutrius generis satis sæpe pro substantivis ponuntur neque in nominativo solum et accusativo sed etiam in iis casibus, in quibus ex forma vocis, cujus generis sit, non discernitur, velut: in ablativo sing. num. malo 1, 14, 5. 1, 6, 6. 1, 24, 4. 2, 4, 6. D 1, 21, 6.; in dativo plur. incertis M 11, 2. tantis M 20, 1. Hos casus perraro apud optimos scriptores ita usurpari grammatici commonent [1]).

Frequentius multo quam apud antiquiores scriptores formæ *participii futuri activi et passivi substantive* usurpantur [2]). auditorium facere . . . locuturo D 3, 1, 5. cervicem percussuro præbent M 15, 1. miscuit ipsa bibituro D 2, 6, 5 . . . futura 1, 11, 5. futurorum 2, 2, 1. de futuris 2, 3, 8. D 2, 6, 3 . . . quo claudi diligentius servanda consuerunt D 3, 3, 4. multa . . . execranda acciderunt 1, 38, 2.

Sæpissime autem adjectiva *in accusativo aut ablativo* neutrius gen. *cum præpositionibus* ita conjuncta reperiuntur, ut adverbiorum fere vim sustineant hæ locutiones. Hoc quum apud omnes scriptores eveniat, apud posteriores tamen inde a Livio frequentius fit [3]): ad postremum 2, 41, 6. ad extremum M 6, 4. in commune M 13, 9. 23, 2. in medium M 10, 6. in perpetuum 2, 45, 3. in quantum

---

[1]) Nägelsbach l. l. p. 66. Dræger l. l. p. 51.
[2]) Nägelsbach l. l. p. 88 et 91.
[3]) Nägelsbach l. l. p. 66 seqq. Dræger l. l. p. 55 seqq.

M 25, 1. in tantum M 1, 5. M 19, 2. 2, 45, 8. in unum M 4, 1. D 1, 6, 1. in sublime E 2, 4. D 2, 2, 1. D 3, 6, 2. de cetero M 2, 7, 6. de modico D 1, 21, 2. de proximo D 3, 16, 1. ex adverso 1, 34, 3. in angusto D 3, 14, 6. in ambiguo 2, 3, 8. in medio 1, 28, 7. M 7, 2. D 3, 6, 3. in præcipiti D 2, 14, 4. in proximo M 22, 5. D 1, 26, 3.

Adjectivis et participiis substantive usurpatis sæpe adjectiva vel participia apponuntur: multa adversa M 5, 3. omnia mortalia 2, 30, 6. omnia foedissima et crudelissima 2, 28, 2. omnibus regis proximis 2, 1, 4. omnes sanctos E 1, 6. ab omnibus fidelibus D 1, 26, 5. nullus ægrotus M 16, 1. egregio publico 2, 51, 5. imminens malum 1, 48, 6. humano malo 1, 6, 6. assueto malo 2, 4, 6. non usitato malo 2, 46, 1. nullo ... malo D 1, 21, 6. insanabilis mali D 3, 16, 2. Etiam pronomina adjunguntur: istius mali 2, 46, 2. quo bono E 2, 14. Hujus usus nonnulla jam apud principes sol. or. scriptores exstant exempla. Perraro autem genitivum aliumve casum aut adverbia et adverbiales locutiones apponunt, id quod apud posteriores Sallustio et Livio præeuntibus frequenter evenit [1]). Apud nostrum ejusmodi exempla sæpe occurrunt, velut: servitutis malo 1, 4, 1. longæ pacis malo 1, 24, 4. persecutionis malo 2, 21, 4. perfidiæ malo 2, 45, 5. communionis illius malum D 3, 13, 5. ad omnia illius M 1, 7. reliqua ejus 2, 28, 3. minima illius aliorum maximis majora D 2, 5, 3. usque in ejus occidua D 1, 2, 1. in hujus interiora 1, 35, 6. de exiguo olei 1, 45, 4. intra camini concava D 1, 18, 4. carum omnibus 1, 34, 6. placita regi 2, 2, 1. objecto bestiis 2, 7, 2. exiliis datos D 2, 7, 2. sacrificans idolis 1, 18, 8. Domino calcata 2, 33, 8. possidens multa M 25, 5. se sequentibus E 2, 15. de se sermocinantibus E 2, 16. inmundis spiritibus obsessos D 1, 25, 2. cfr D 1, 25, 4. tot victoriis nobiles 1, 23, 8. post gesta 1, 1, 3. rursum emissa ... tertio demum emissa 1,

---

[1]) Cfr Kühner l. l. p. 173 seq. Kühnast l. l. p. 47 seq. Nägelsbach l. l. p. 71 seq.

3, 4. prius editus 1, 8, 1. semel coepta D I, 22, 5. multa illius prius gesta D 2, 4, 2.

Constat denique Latinos sæpe adhibuisse adjectiva, ubi nos adverbiis utimur [1]); in hoc autem usu Sulp. Severus, posteriores rerum scriptores secutus, multus fuisse videtur: lætus 1, 26, 6. E 3, 21. D 2, 12, 4. D 3, 10, 4. lætus hilarisque M 40, 3. alacer et lætus D 3, 15, 1. libens 2, 26, 5. D 1, 12, 5. volens 2, 42, 3. 2, 19, 8. sollicitus M 8, 2. D 3, 18, 1. suspensus et dubius E 2, 2. trepidus 2, 49, 2. 1, 51, 2. D 3, 4, 3. D 3, 12, 1. trepidans 1, 48, 7. intrepidus M 7, 3. M 13, 8. mæstus M 5, 3. D 3, 13, 3. exanimis D 3, 2, 5. D 3, 14, 9. invitus D 2, 5, 9. ingratus D 1, 12, 3. impius 1, 2, 3. impudens M præf. 1. E 2, 5. pudicus D 2, 12, 2. superbus D 1, 21, 4. frequens 1, 34, 4. 1, 26, 5 et sæpius. totus M 2, 4. D 2, 4, 5. sæpe alias. creber D 1, 21, 2 medius M 20, 4. D 1, 18, 4. posterior 1, 11, 3. securus M 4, 5. D 2, 5, 7. incolumis 2, 16, 5. D 2, 9, 6. liber expeditusque M 25, 4. immobilis D 2, 6, 5. tacitus 1, 43, 7. M 12, 4. placidior D 2, 9, 4. asperior M 3, 1. incautior D 3, 9, 5. anhelus D 3, 1, 4. insperatus D 3, 1, 4. tæter D 3, 8, 3. furibundus D 2, 9, 2. petulcus D 2, 9. 1. fecundus D 2, 10, 4. ridiculus M 12, 4. resupinus M 15, 2.

Restat, ut commemorem, Sulp. Severum ad vim *comparativi* gradus augendam posuisse adverbium, quod est longe, more Livii. poët., poster. [2]) longe atrocius periculum 2, 35, 1. Neque silentio prætereundum est, superlativum Græcorum more pro comparativo adhiberi [3]): Romanum (imperium) omnibus ante regnis validissimum 2, 3, 5 (Tac. Plin.). Præterea moneo, adjectivum, quod est *plerique*, vi superlativa obscurata sæpissime usurpari,

[1]) Cfr Kühner l. l. p. 176 seqq. Kühnast l. l. p. 56 seq. Nägelsbach l. l. p. 226 seqq.

[2]) Cfr Hand. Turs. s. v. p. 551. Krebs Antib. der Lat. Spr. [4] s. v.

[3]) Cfr Kühner l. l. p. 312. Löfstedt, Grek. Gram. p. 160 ann. 2.

id quod raro fit apud antiquiores scriptores [1]). sed plerique ... annuum imperium ejus annotaverunt: plerique ita eum præterierunt, ut ... 1, 28, 7. cfr 2, 17, 5. 2, 43, 4. M 1, 1. M 3, 1. M 24, 2 et 3 et sæpe alias. Crebro etiam adj. *plures* pro multi, complures occurrit, quod simili modo usurpant Livius et posterioris ætatis scriptores [2]). Plures postea vixit annos M 7, 5. cfr. M 10, 9. M 20, 1. 2, 28, 4.

Ad ultimum jam nonnulla de *numeralibus* huic loco inserere liceat. Ut nonnunquam jam apud meliores scriptores numeralia substantive usurpantur [3]): sed ex decem milibus ... non amplius quam trecentos tenuit 1, 25, 6. mille ex hostibus prostravit 1. 27, 5. cfr 1, 33, 5. 2, 25, 1. 2, 5, 3. M 5, 4. D 1, 8, 1. Interdum Sulp. Severus dicit decem et octo pro duodeviginti cfr. 1, 55; ac novem et viginti 1, 46, 5. et similia; cfr 1, 51, 4. 1, 46, 6. 2, 32, 2. neque vero id omnino est inusitatum apud optimos scriptores [4]). Non raro adv. tantum numeralibus apponitur, id quod apud argenteæ ætatis scriptores sæpius evenire Krebs s. v. unus commonet. tres tantum 2, 41, 3. sex tantum D 1, 20, 4. cfr M 2, 5. D 2, 2, 2. Denique annotemus, Sulp. Sev. ad infinitum numerum significandum semper mille, nusquam sexcenta usurpasse: dum mille nocendi artibus . . virum conabatur illudere M 22, 1; cfr D 3, 15, 2.

Pronomina.

Transeamus jam ad pronominum usum, ac primum quidem numeri mutationem primæ personæ commemorare placet. Permulta hujus usus exempla apud nostrum occurrunt; quamquam ab hac supputatione nostra ceteros discordare non nesciam 1, 29, 9. cum me dignatus est adhibere, aquam manibus nostris obtulit M 2, 5, 3. omissum hoc a me in libello, quem scripsimus E 1, 8. refe-

[1]) Cavallin s. v. Kühnast l. l. p. 203.
[2]) Cfr Vogel l. l. p. 16. [3]) Cfr Vogel l. l. p. 16.
[4]) Cfr Neue l. l. Zweiter Theil p. 108 seq.

ram . . . ne videamur E 1, 9. cfr E 2, 3 et 6. E 3, 2 et 3; quamquam consimilia ne apud Ciceronem quidem desunt [1]).

Illud vero memorabilius, quod *objectivum*, qui dicitur, *genitivum pronominum personalis aut reflexivi* loco pron. *possessivorum* frequenter adhibuit Sulp. Sev. more potissimum poëtarum et poster. scriptorum [2]): 2, 33, 8 sui speciem. 2, 35, 3 pro potestate sui. M 13, 8 fragorem sui. M 23, 5 in medio vestrum. E 2, 9 nostri confabulatione.

Multa deinde ac varia sunt exempla apud Severum constructionis illius ad sensum, ut ajunt, qua fit, ut *pronomen reflexivum* subjectum, quod vocatur, logicum respiciat: Cfr 1, 40, 4 idola eis ritu gentium suarum constituit. M 1, 3 quid ipsis scriptorum suorum gloria profuit. D 2, 1, 2 Martinum . . . sua solitudo cohibebat. D 2, 3, 5 eum asello suo imposuimus. D 2, 9, 5 licet in libro suo præteritum. D 3, 15, 4 ut ne sua quidem illi mens subesset. Crebro evenit in ea verborum constructione, quam ablativ. absol. vocant, neque hic usus apud melioris notæ scr. ita infrequens est nec leges offendit linguæ latinæ, quippe quum participia enuntiationis vim ac dignitatem non habeant [3]). 1, 14, 3 signis apud suos editis. 1, 30, 6 delato ad se mali nuntio exspiravit. 1, 37, 1 perlato ad se mortis ejus nuntio. 1, 46, 2 inclinatis rebus suis . . . 1, 54, 6 delata sibi optione. 2, 2, 4 revelato sibi mysterio. cfr 2, 5, 5. 2, 10, 1. 2, 31, 1. M 15, 4. M 24, 7. D 2, 4, 5. Contrario modo 2, 20, 2 multis ad eum confluentibus, speciem justi exercitus effecerat. cfr etiam D 3, 4, 1 sequentibus eum . . . ordinibus.

Contra insolenter pron. reflex. se pro formula illa inter se reciproca, quæ vocatur, significatione adhibetur. 2, 17, 3 qui sibi exercitum et provincias distribuissent. 2, 30, 7 has religiones, licet sibi contrarias. Ut nonnum-

---

[1]) Cfr Kühner l. l. p. 64. Dræger l. l. p. 25. Dræger Tac. § 10. Madvig ad Cic. Fin. [2] p. 55.

[2]) Cfr Kühner l. l. p. 435.

[3]) Cfr Kühner l. l. p. 436. Dræger l. l. p. 69. Kühnast p. 98.

quam apud Livium et apud eos, qui post eum fuerunt scriptores [1]), sic apud Severum adverbium invicem pronomini se adjungitur 1, 4, 5 priusquam a se invicem deducerentur. 2, 3, 6 a se invicem dissidentes.

Jam in usu *pron. demonstrativorum* multum ab optimis script. noster discrepat. Sic pronomen, quod est *iste*, creberrime ita adhibet, ut ad agentem personam referatur, quod genus loquendi apud infimæ ætatis scriptores viguisse constat [2]). 1, 2, 1 voluminis istius (sc. mei). M 25, 3 ista (sc. mea) laudatio. M 27, 6 opusculum istud. D 1, 12, 5 istum (sc. meum) sermonem. D 1, 26, 3 regio ista nostrorum. cfr E 2, 18. D 1, 18, 3. D 3, 16, 1 et sæpe alias. Frequenter pronomini, quod est ille, opponitur. D 3, 6, 5 ille se Jovem iste Mercurium fatebantur. Cfr D 1, 24, 2 et 4. D 1, 25, 3. D 2, 6, 7. D 2, 7, 4.

Persæpe pronomina, quæ sunt *is*, *ille*, pro *reflexivo* occurrunt. 2, 7, 1 exagitati invidia, quod eis alienigena fuisset æquatus. 2, 15, 8 Holofernus . . . ira accensus, cur . . . pendere illius victoria putaretur. D 2, 4, 9 postulantes, ut eos . . . faceret Christianos. 1, 41, 5 veritus, ne ab eo plebem averteret. Cfr 1, 32, 4. M 15, 4. D 1, 25, 6. D 2, 3, 9. D 3, 17, 7. Sic etiam principes solutæ orationis scriptores interdum loquuntur [3]).

Sunt loci, ubi *ipse* pro iis, quæ sunt *is* et *ille*, positum videatur. 2, 28, 1 siquidem opinione multorum receptum sit, ipsum . . . venturum. cfr D 1, 5, 4. Apud Firmicum complura hujus usus exempla leguntur. Cfr. 21, 2. 3, 2. 7, 6.

Frequenter pron. *idem* posuit Severus, ubi meliores scriptores is vel ille prætulissent. 1, 19, 6 Levitas ad se gregavit eisdemque præcepit. Cfr 1, 3, 2. 1, 5, 6. 1, 15, 1. 1, 22, 3. 1, 52, 3. 1, 53, 5. 2, 30, 2. 2, 41, 1. 2, 43, 1. M 22, 6. D 1, 15, 7 et sæpe alias.

---

[1]) Cfr Kühner l. l. p. 450. [2]) Cfr Dræger l. l. p. 87.
[3]) Cfr. Kühner l. l. p. 446 seq. Dræger l. l. p. 73 seqq. Kühnast l. l. p. 105.



Facilius ferendum magisque vulgatum est, quod pron. *hic* vi repræsentativa, ut ajunt, pro is vel ille legitur; in obliqua oratione: 1, 15, 1. 1, 20, 7. M 7, 6 et sæpius. Crebro etiam extra eam, velut: 1, 16, 3. D 1, 15, 7 sæpius. Cfr etiam inter hæc pro interea 2, 51, 10. post hæc = postea E 2, 15. D 1, 11, 1. Præterea constat, pron. *hic*, *qui* apud aureæ ætatis scriptores non adhiberi nisi de hominibus rebusve præsentibus aut jam commemoratis [1]), a quo usu Severus sæpe recessit. 1, 5, 6 reliqua his, quibus erepta erant, reddidit. M 1, 7 ex his, quæ comperta nobis erant ... 11, 2 ab his, qui majores natu erant. cfr 25, 1.

Usus Ciceroni familiaris, quo pron. *ille* præponit particulæ quidem, cui deinceps respondet sed, nostro alienus videtur. Cfr 2, 38, 4 obnoxius quidem omnibus, sed præcipue V. deditus. cfr E 1, 7.

Annotemus denique, demonstrativa pronomina et inter se et cum possessivis sæpius conjungi, qua pronominum geminatione alacris sermocinationis blandus quidam color effici videatur. D 2, 12, 6 xenium ... eadem illa virgo transmisit. 2, 36, 3 eosdem illos judices ... hæreticos esse nemo dubitabat. M 13, 2 et cum idem illi ... quievissent. (Cfr. Apul. met. 9, 81, 3. eundem illum contegit vimenea cavia [2]). D 3, 16, 3 istum ipsum ... sermonem meum. D 1, 1, 4 hoc adventu tuo. D 1, 1, 5 hujus Sulpicii mei. D 1, 1, 4 hujus nostri ... Galli. D 1, 21, 5 hæc tua verba. D 3, 18, 4 hoc opus suum. D 2, 5, 2 Martinus hic vester D 1, 12, 2 o si vester ille ... nunc adesset. D 3, 18, 1 noster ille Pomponius. D 1. 13, 7 ille dux meus. D 1, 23, 7 et 26, 4 in illo libro tuo. D 3, 17, 4 illum nostrum libellum. D 3, 15, 1 in illo suo ... sedili. D 3, 2, 5 suo illo more.

---

[1]) Cfr. Vogel l. l. p. 17.

[2]) Cfr Koziol Der Stil des Apul. p. 78. De hoc pronominum usu apud Kühnerum l. l. p. 458 nulla mentio est. Ibidem negat, pron. idem voci is umquam apponi, id quod sæpius fit apud Firmicum, velut: 23, 3. 28, 5.

Multi præterea sunt loci, ubi post pron. demonstr. repetitur substantivum, quod respicitur quodque jam in prægressis positum est. 1, 13, 4 nomen puero Moyses dedit. Moyses hic ... cfr 2, 24, 2 hic Alexander. M 5, 2 idem Hilarius. M 20, 8 eidemque Maximo. M 23, 6 idem adolescens. D 3, 15, 7 idem Brictio. De simili usu apud priscos scriptores et comicos vide Holze [1]).

Quemadmodum sæpius apud Apul. [2]) sic apud Severum contra optimorum scr. consuetudinem participio adjungitur pronomen demonstr. D 1, 14, 1 quod ei lupa solita esset adstare cenanti.

Interrogativum pronomen *quis*, ubi de duobus quæritur, nonnumquam occurrit. 2, 12, 2 cum duos hujus nominis ... reges fuisse repppererim, multa cunctatio est, cujus ... temporibus. cfr 2, 38, 5. E 3, 12. Jam apud classicos, qui vocantur, scriptores hujus usus extant exempla [3]).

Similiter pron. *qui* rarius illud quidem sed interdum jam apud principes scr. pro eo, quod est uter, adhibitum invenitur [4]). 1, 11, 3 ad dinoscendum, qui prius nasceretur.

Pron. interrog. non raro ita ponitur, ut pro eo potius relativum exspectes. Cfr M 15, 1 quid etiam in pago Aeduorum gestum sit, referam M 21, 3 refert, quid indicasset. D 2, 13, 8 quid gestum esset scire cupiebat.

Quicunque pro eo, quod est quivis, ut apud Livium et poster. [5]), sic apud Severum legitur. 1, 18, 8 coitiones ... in quamcunque malitiam non esse faciendas. D 2, 12, 8 non ... quamcunque a se reppulit sacerdotem.

Pronomina *quicunque ille* per breviloquentiam quandam posita videntur. 2, 14, 2 nisi si ob inpotentiam et pariles conatus quicunque ille rex Nabuch. a Judæis vocitatus est. (i. e. quicunque ille rex erat.) Cfr Min. Fel.

---

[1]) Holze Syntaxis Prisc. scr. lat. Vol. 1 p. 356.
[2]) Cfr Koziol l. l. p. 79. [3]) Cfr Dræger l. l. p. 103.
[4]) Dræger l. l. p. 103.
[5]) Kühnast l. l. p. 196. Madvig ad Cic. Fin. Excurs. VI p. 834.

10, 2 cur etiam occultare . . . quidquid illud colunt magnopere nitantur. Tac. ann. 1, 42 et 55 [1]).

Pronomen indefinitum, quod est *quisque*, cum adjectivis positivi gradus conjungit Severus more poetarum et poster. scr. [2]) 2, 26, 5 vicina quæque . . . adjungere cupiens. 2, 34, 2 contigua quæque . . . purgari jubet. cfr M 17, 5. Perraro apud optimos scriptores pluralem masculini aut feminini generis pronominis quisque adhiberi notum est. Apud Severum sæpius legitur. 1, 26, 1 pessimis quibusque consentientibus. 2, 28, 3 optimi quique. D 3, 5, 2 ad singulas quasque virtutes. M 17, 5 obvios quosque.

Unusquisque de duobus dictum reperitur, id quod Krebsius [3]) negat umquam fieri. 2, 1, 8 unumquemque ex iis interrogat.

Interdum pron. *aliquis* et *quispiam* in sententiis negantibus occurrunt. D 1, 9, 3 cave ne et te aliquis exaudiat. D 1, 26, 1 non illi ego audeo . . . episcoporum quempiam conparare. Sic autem etiam optimi sôl. or. scriptores non ita raro loquuntur [4]). Memorabilis est locus D 1, 11, 1 obsecrat, ne panis ullus aut cibus aliqui mitteretur.

Minus etiam offendit, quod pron. *alius* de duobus usurpatur cfr 1, 11, 5. 1, 39, 4; vel quod *alii* eadem significatione occurrit ac reliqui, ceteri cfr D 3, 10, 2; nam hic usus ne a melioribus quidem scr. alienus est [5]).

Denique annotandum videtur, Sulp. Severum pron. *quidam* mirifice dilexisse. Ubicumque enim hominem aut rem nondum nota, de quibus locuturus est, pluribus designare aut non vult aut nequit, commoda pronominis quidam appellatione est contentus, velut: 1, 26, 2 turrim

---

[1]) Dræger Tac. p. 7.

[2]) Cfr Kühner l. l. 475. Dræger l. l. p. 102.

[3]) L. l. p. 969.

[4]) Cfr. Kühner l. l. p. 468. Dræger l. l. p. 90 seq. et 96.

[5]) Dræger l. l. p. 104 seqq. Kühner l. l. p. 477. Kühnast l. l. p. 103.

quandam. M 7, 1 quidam catechumenus. 6, 5 quodam presbytero. 11, 1 gentilis cujusdam. 13, 1 et 14, 1 vico quodam. 16, 2 puella quædam 17, 5 patris familias cujusdam. 23, 2 juvenis quidam. 24, 2 quidam episc. E 1, 10 diœcesim quandam. D 1, 13, 2 quendam senem. D 2, 4, 4 vicum quendam D 2, 8, 3 adolescenti cuidam. D 3, 14, 2 quidam negotiator et sæpius. Insolentius etiam nominibus propriis creberrime apponitur quidam. 1, 34, 3. Goliath quidam. 1, 35, 10 F. cuidam. 1, 38, 1 Bers. quædam . . . U. quidam. 1, 38, 4 S. quodam. cfr 1, 42, 6. 1, 49, 1. 2, 1, 5. 2, 4, 1. 2, 12, 3. 2, 13, 2. 2, 15, 6. 2, 17, 3. 2, 18, 1 et 4. 2, 21, 2. 2 23, 5. 2, 26, 6. 2, 28, 2. 2, 46, 1. 2, 51, 2. M 8, 1. 9, 1. 17, 1. 23, 1.

Verba.

De verborum usu id maxime commemorandum mihi visum est, Sulp. Severum permulta verba intransitive, ut ajunt, vel absolute usurpasse. 2, 45, 2 abnuere. 1, 30, 1 agere 1, 24, 4 aggredi. 1, 18, 4 consulere. 2, 24, 2 congratulari. 1, 45, 1 consequi M 5, 6 credere. 2, 1, 6 morti dedere. 1, 32, 1 degere. cfr 2, 9, 2 et sæpius. 1, 24, 2 dominare. 1, 23, 6 emere. M 13, 4 facere. 1, 23, 5 habere. E 1, 13 incumbere. M 24, 2 illudere. D 2, 4, 6 se jungere. M 13, 1 obsistere. E 2, 1 occupare. 1, 23, 7 possidere. 2, 20, 1 profanare. 1, 21, 4 promovere. E 2, 18 recipere. 2, 21, 4 relinquere. 2, 45, 2 reniti. 1, 54, 2 respondere. 1, 26, 2 subire. 1, 23, 6 vendere. Jam apud meliores scriptores nonnulla horum exempl. exstare constat [1]).

Particulæ.

Particularum jam pæne infinitam copiam aggrediamur. In harum usu inferioris ætatis scriptores vel plurima prebent depravatæ latinitatis vestigia; nam subtiles illæ significationes, quibus distinxit hæc verba lingua latina

[1]) Cfr Nägelsbach l. l. p. 361 seqq. Kühnast l. l. p. 146 seqq.

procedente tempore magis magisque videntur evanuisse. Prius autem quam singula deinceps tractemus, ante oculos libet proponere multisque ac variis exemplis illustrare consuetudinem nostro magnopere frequentatam neque antiquioribus historiarum praesertim scriptoribus alienam, qua *adverbia* vel *adverbiales locutiones* tam arte cum substantivis conjunguntur, ut adjectivorum speciem videantur subire. Hæc autem structura, ex Græcis repetita vel ad eorum usum conformata [1]), impugnare omnino linguæ latinæ indolem videtur, quare optimæ notæ scriptores, totius plerumque enuntiationis longiorem ambitum usurpant. Ne inferioris quidem ætatis scriptores hac dicendi consuetudine delectari Dræger affirmat [2]). At Severo certe in deliciis fuit. cfr 1, 5, 3 vacuæ tum regionis. 1, 33, 5 superiore bello victores. 1, 34, 5 etiamnum puer. 1, 35, 7 tuto eminus loco. 1, 37, 2 crebris deinde proeliis. 1, 39, 4. hanc vere matrem. 2, 3, 5 omnibus ante regnis. 2, 11, 6 ex illo quondam inmani numero. 2, 16, 3 per triduum . . . consuetudinem. 2, 45, 8 Lucifer tum Antiochiæ. 2, 47, 6 a Gratiano tum imperatore. 2, 48, 2 urbis ea tempestate episcopum. 2, 48, 5 tum magister officiorum. M 3, 3 adhuc catechumenus. M 21, 1 invicem sermone. D 1, 18, 4 illis quondam Hebræis pueris. D 2, 9, 5 tunc presbyterum modo episcopum. D 3, 10, 5 vere discipulus. cfr præterea 1, 1, 3. 1, 3, 4. 1, 8, 1. D 1, 22, 5. D 2, 4, 2 — 2, 38, 3 a Singiduno Ursatius, Valens a Mursa . . . Acatius a Cæsarea . . . Narcissus a Neronopoli. 2, 39, 4 Lucifer a Carali. 2, 40, 5 Osium ab Hispania. 2, 42, 6 Georgius ab Alexandria. 2, 45, 7 Paternus a Petrocoriis. — 1, 36, 5 eadem de temporibus . . . caligo. 1, 39, 3 de puero altercatio. — 2, 26, 5 foeda inter fratres de regno certamina. M 18, 1 de motu . . . barbarorum fama. M 22, 5 sancta de . . . pietate præsumptio. E 3, 19 sancta de illius gloria exul-

---

[1]) Cfr quæ de hac re disputaverunt Kühnast l. l. p. 52 sqq. Nägelsbach l. l. p. 203. Kühner l. l. p. 163 sqq.

[2]) Dræger Tac. § 23.

tatio . . . pia de morte tristitia. D 1, 23, 4 tuo libro de virtutibus. — 1, 4, 1 hostias ex volucribus. 1, 19, 6 duas ex lapide tabulas. 1, 52, 3 ex metallis sacraria. 2, 8, 3 ex ære simulacrum. M 24, 4 diademate ex gemmis auroque. 1, 6, 4 juventus . . . ex oppido. 1, 27, 3 uxorem ex Allophyllis. 1, 29, 2 juvenes ex oppido. 2, 15, 5 Judæa ex tribu Benjamin. 2, 21, 7 ex Syria negotiatores. 2, 31, 6 M. ex gentibus. D 1, 22, 1 adolescens ex A. 2, 8, 1 ex filia nepos. 2, 37, 4 initium . . . ex M. 1, 40, 1 profectione ex Ægypto. D 1, 19, 5 ipsam ex illa virgula arbusculam. — 1, 16, 4 servitium cum saturitate ventris. 1, 24, 2 cuncta cum externis societas. 1, 51, 1 litteris cum verborum contumeliis. D 1, 13, 4 ollam cum holeribus. D 1, 22, 2 militiam cum vano honore. D 1, 14, 2 cum panibus fiscella. D 2, 6, 3 totus cum eo sermone. D 3, 3, 5 vas vitreum cum oleo. — E 2, 12 sine cruore martyrium. — 1, 8, 1 assiduis ad Dominum precibus. 1, 18, 2 edicta Dei ad M. 1, 52, 2 piis ad D. precibus. D 1, 9, 6 regressus ad Alex. — 1, 38, 5 crebra adversus Allophyllos proelia. 2, 21, 5 bellum adversus Judæos. 2, 28, 5 illustris illa adversus Simeonem congressio. D 1, 20, 1 adversus inflationem . . . exemplum. — 2, 45, 5 apud Ariminium gesta. — M 2, 7 multa illius circa commilitones benignitas. — 2, 16, 2 liberum extra castra nocturno tempore egressum. — 1, 5, 4 nullum inter mortales certamen. cfr. 2, 26, 5 — 2, 45, 5 frequentibus intra Gallias consiliis. — 1, 35, 1 in eum regis odium. 1, 35, 8 sua in illum beneficia. 2, 35, 5 insitum in catholicos viros odium. 2, 49, 6 preces plenas in Priscillianum ac socios ejus invidiæ atque criminum. E 2, 17 in astra conscensu. — 1, 46, 1 in Iudæa regem. 2, 23, 5 in ea pugna victores. M 10, 1 eadem in corde ejus humilitas, eadem in vestitu ejus vilitas. D 1, 4, 1 senem in veste pellicia. cfr D 2, 10, 8.

Constat præterea, adverbia, quæ vocantur qualitatis, apud aureæ ætatis scriptores perraro cum adjectivis aliisve adverbiis conjungi, a quo usu posteriores, quorum erat insolitæ atque argutæ dictionis captatio, sæpenumero

recesserunt [1]). Cfr D.2, 3, 5 foede cruentum ... invenimus. D 2, 10, 1 Operæ pretium est ... illius verba, spiritualiter salsa, memorare.

His ante in universum monitis singula jam perlustrabimus, ac primum quidem in medium veniant *adverbia temporis.*

Adhuc apud Severum *de tempore futuro* ponitur contra veterum scriptorum usum [2]). 1, 12, 4 præmonens, quinque adhuc annos famem futuram. Interdum adhuc eadem significatione atque *ad hæc* vel *præterea* transitioni inservit. D 1, 12, 7 referam adhuc vobis pauca. D 1, 20, 1 duo vobis adhuc præclara memorabo. Hanc loquendi consuetudinem, e vulgari sermone receptam, poster. fuisse docet Hand. s. v. p. 163. Frequentius partic. adhuc de *tempore præterito* pro etiamtum, usque ad id tempus usurpata invenitur, id quod raro evenit apud optimos sol. or. scriptores [3]). M 2, 4 meditabatur adhuc in ætate puerili. 5, 3 quos adhuc gentilitas detinebat. Cfr 1, 38, 9. M 17, 3. D 2, 14, 6; in obliqua oratione: 1, 43, 9. D 3, 8, 5.

Dehinc idem significat ac deinde: M 6, 4 dehinc cum hæresis Arriana ... pullulasset. Cfr M 11, 4. D 2, 3, 3. (Poet. post.) [4]).

Denique in duobus membris ita adhibet Severus, ut actio priore gravior eo inferri videatur. 1, 21, 3 in quo quidem notatus ... refertur, quod per diffidentiam non nisi iterato ictu aquam eduxerit; denique ob hoc peccatum promissam sibi terram non ingressus est. Interdum eodem fere sensu atque itaque positum videtur. E 1, 14 fatebatur, in hoc se diaboli arte deceptum, ut excussus e somno consilium non haberet, quo per fidem et orationem periculo repugnaret: denique tam diu circa se sævisse ignem quamdiu erumpere ... temptaverit, ubi vero ... orationis arma repetisset, ... cessisse flammas ...

---

[1]) Cfr Nägelsbach l. l. p. 239. Kühner l. l. p 597.
[2]) Cfr Hand. Turs. s. v. p. 163.
[3]) Cfr H. s. v. p. 160. Madv. ad Cic. Fin. 629. Krebs s. v.
[4]) Hand. s. v. p. 231.

Hucusque de tempore usurpatum reperitur. E 3, 13. jam satis est, quod hucusque certavi. D 3, 4, 6 satis solverim hucusque pænarum. Cfr D 2, 14, 7. Krebsius s. v. negat, quemquam latinæ linguæ scriptorem ita locutum esse.

Mox apud recentioris ævi scriptores præeunte Livio pro deinde, paulo post frequenter occurrit [1]). 1, 1, 3 excidium Hierosolymæ vexationesque populi Christiani et mox pacis tempora. 1, 35, 4 ac primum ... ad Samuelem se contulit, inde ad Abim., postremo ad regem Moab confugit, mox ... in terram Indæ regressus, vitæ periculum adiit. 2, 5, 5 nec multo post objecto sibi somnio, mox voce etiam cælo emissa admonitus; cfr 1, 5, 3. 1, 34, 2 et 7 1, 35, 8. 1, 38, 9. 1, 44, 2. 1, 49, 2. 2, 2, 1. 2, 32, 3. M 1, 6. D 1, 1, 3. D 1, 22, 5.

Prius pro eo, quod est primum, apud posterioris ætatis scr. legitur [2]). M 24, 5 descensurus ad terram prius me manifestare tibi volui. (Similiter prior pro eo. quod est primus, usurpari per occasionem commemoro. Cfr M 20, 6).

Quando i. s. q. umquam: D 1. 3, 4 ne quando quidem auditum est.

Quandoque raro apud antiquiores scriptores pro eo, quod est aliquando, adhibetur [3]). 1, 13, 2 metuebatur, ne quandoque libertatem armis vindicaret; cfr D 1, 13, 6.

Subinde Livius primus in solutam orationem induxit et eo quidem sensu, ut de re sæpius facta legatur. D 1, 25, 6 consules et præfectos subinde pascere ferebatur. D 1, 15, 4 subinde restitans, subinde respectans; vel eadem fere significatione ac mox [4]). D 3, 13, 5 cum quosdam ... tardius quam solebat ... curaret, subinde nobis fatebatur.

Adverbia loci. Hinc atque inde inter se opponuntur pro eo, quod est apud veteres scriptores hinc et illinc,

---

[1]) Cfr Hand. s. v. p. 657. Kühnast l. l. p. 351.
[2]) Cfr Hand. s. v. 568.
[3]) Cfr Madvig ad Cic. Fin. Exc. 6 p. 833.
[4]) Kühnast l. l. p. 357.

hinc, illinc. D 1, 24, 3 cum . . . hinc atque inde premeretur. D 2, 3, 6 flagris hinc atque inde resonantibus. (Argent. æt. scr. H. s. v. p. 365).

Ubique apud principes sol. or. scr. nusquam fere nisi in sententiis relativis adhiberi videtur, a qua ratione Severus more poster. sæpius recedit. D 1, 20, 6 ubique nomen ejus dæmones fatebantur. Cfr D 1, 21, 3. D 2, 12, 10. E 3, 5.

Adverbia modi. Adeo conclusioni inservit ita, ut »oratio ex re facta, quæ narratur, transeat ad universam causam». 1, 24, 2 morum disciplinæque immemor matrimonia ex victis assumere paulatimque externos mores trahere ac mox profano ritu idolis sacrificare occepit: adeo cuncta cum externis societas perniciosa est. Cfr 2, 33, 2. (Liv., post. H. s. v. 152).

Æque insolenter ibi posuit Severus, ubi formulam et ipse exspectares. 1, 26, 3 post hunc Icair fuit, qui cum æque viginti et duos annos principatum obtinuisset 1, 42, 5 Boasam ... successorem habuit, æque a Deo alienissimum. Cfr 2, 3, 5 et 8. D 1, 24, 4.

Alioquin significat *aliter* vel *quod nisi ita esset.* M 1, 9 alioquin tacere quam falsa dicere maluissem. Excepto Livio num veter. scr. sic dixerint, magna est inter viros doctos dissensio [1]). Similiter *alias* pro *aliis in rebus* vel tal. q. occurrit, id quod inferioris ætatis est [2]). D 3, 11, 1 Maximus imperator, alias sane bonus, depravatus consiliis.

Invicem addito pron. reflex. se reciproca significatione adhiberi jam supra annotavimus. Interdum per se solum eum sensum habere reperitur. 1, 4, 6 diverso neque ulli invicem intellecto linguarum ritu loquebantur. (Liv. poster.) [3]).

Ita apodosin excipit (ut nos quidem ipsi quoque addere solemus »så»), quod vulgo Latini repudiaverunt. M

---

[1]) Cfr Hand. s. s. p. 235 sequ. et Seyffert, Pal. Cic. [5] p. 13.

[2]) Cfr. Hand. s. v. p. 225.

[3]) Cfr Kühner l. l. p. 450. Hand. s. v. 454 seq. Nägelsbach l. l. p. 243.

7, 1 Cum jam Hilarius præterisset, ita eum est vestigiis prosecutus. Cfr D 1, 11, 6 et sæpius.

Utcunque notione relativa amissa, ut apud Livium [1]), poet., post., sic apud Severum legitur. M 26, 2 nam etsi facta illius explicari utcunque potuerunt. . . .

Utique cum vocabulis, quæ sunt qui et quum pro maxime vel præsertim, conjungitur more Livii, poster. [2]). M 1, 6 quo utique ad veram sapientiam incitabuntur. M 3, 2 cum utique plus habentes cet. In sententiis negantibus occurrit, id quod rarius fieri Klotz. s. v. monet. D 2, 5, 1 non utique me vicisti. Cfr 2, 14, 1.

Particulæ affirmativæ. Immo frequenter significat *atque adeo* vel *ac potius, quin potius,* ubi scriptor priora corrigens majus quiddam substituit, quod genus loquendi post Augusti ætatem videtur increbruisse. M 4, 5 at Martinus intrepidus, immo inlato sibi terrore constantior. M 13, 9 pauci admodum, immo pæne nulli. Cfr M 14, 1. D 1, 22, 6. D 2, 4, 1. D 2, 9, 6.

Sane vi concessiva cum indicativo conjunctum reperitur. 2, 33, 2 sane tum Licinius . . . milites suos litare præceperat . . . sed id inter persecutiones non computatur.

Particulæ negativæ. Non pro *ne* in *adhortationibus* legitur, ut interdum jam apud Liv. et poet. [3]). D 1, 18, 4 non temptaret aggredi . . . D 2, 12, 7 non vereantur excludere. Sæpius *nec* vel *neque* pro *neve* occurrit et quidem prægressa ut particula: 1, 7, 4 modo ut . . . deduceret, nec putaret. 2, 7, 1 regem compellunt, ut sibi . . . darentur, neque cuiquam liceret. Cfr M 1, 9. Sed jam apud optimos sol. or. script. ejusmodi exstant exempla [4]).

Nec eodem fere sensu ac *ne . . . quidem* positum invenitur. D 2, 13, 7 minime mirum, si in operibus Martini . . . dubitavit, cum multos videamus nec Evangeliis cre-

---

[1]) Cfr Kühnast l. l. p. 196. [2]) Vogel l. l. p. 27.
[3]) Cfr Kühner l. l. p. 145.
[4]) Cfr Kühner l. l. p. 146. Hand. s. v. 118, seqq.

didisse. D 3, 5, 3 si adeo infideles sunt, profiteor, quia nec illis sunt credituri. (Liv. poet. post.) [1]).

Nec non contra morem optimæ latinitatis script. una collocata sequente etiam ad singula nomina copulanda usurpantur. 2, 42, 5 intra conscientiam communionis nec non etiam in societatem receptis. (Varro poet. poster.) [2]).

Necdum pro *nondum* apud Livium et poster. ætatis scriptores, sed perraro invenitur [3]). 1, 36, 4 nam ea tempestate ... necdum regnare cœperat. 2, 40, 6 quod ... necdum ... conveniret. Cfr M 2, 8. D 3, 14, 2.

Non nisi frequenter non interjectis aliis vocabulis ita collocantur, ut unius particulæ vim videantur tenere. Cfr 1, 1, 6. 1, 21, 3. 2, 31, 4. 2, 34, 1. D 1, 10, 1. D 1, 14, 1 et 2. (Poet., post. Kühner l. l. p. 936. H. s. v. 252).

Nedum negatione non prægressa raro apud veteres script. occurrit [4]). 1, 1, 4 ego vero ... tecum versabor ... nedum ... me tibi æstimes defuturum.

Particulæ copulativæ. Et apud Severum frequenter legitur pro etiam neque solum, ut sæpius jam apud classicos, qui vocantur, script. [5]), ante pronomina positum: D 1, 25, 5 et ille. 2, 11, 7 et illa. 2, 12, 1 et tu. 1, 9, 3 et te. 3, 3, 4 et illud. D 1, 8, 3 et vobis; vel ante nomina propria: E 1, 15 et de Paulo. 2, 6, 6 et Nabuch; sed sæpe alias. M 11, 1 et altare. D 3, 7, 8 et mundus. D 3, 13, 1 et tribuni. M 1, 8 simul et. 1, 48, 5 quin et. Cfr 2, 29, 2. 2, 46, 5, sæpius.

Locutio illa *et ipse* apud Ciceronem rara, Livio autem et poster. magnopere frequentata [6]) apud Severum legitur: 2, 44, 3. 2, 39, 5 et ipsa.

---

[1]) Cfr Kühnast l. l. p. 373. Kühner l. l. p. 660 seq. Madvig. Cic. Fin. Exc. 3 p. 802 seqq.

[2]) Kühner l. l. p. 625 seq. Hand. s. v. p. 111.

[3]) Dræger II p. 64. Kühner l. l. p. 619.

[4]) Kühner l. l. p. 618. Dræger II p. 664.

[5]) Cfr Kühnast l. l. p. 376 seq. Kühner l. l. p. 637.

[6]) Kühner l. l. p, 460. Dræger l. l. I p. 81. Madvig Cic. Fin. p. 717 seq.

In trium vocabulorum enumeratione crebro extremum per et particulam præcedentibus adjungitur. 2, 1, 2 Annanias, Misaël et Azarias. Cfr 2, 3, 8. 2, 5, 2. 2, 39, 4. 2, 48, 1. 2, 51, 4. D 1, 13, 5. 2, 17, 5 libidine, avaritia et dominandi cupidine. E 2, 8 ut credo, spero et confido. Apud Ciceronem numquam fere et part. hoc modo simpliciter conjunctioni inservire Dræger docet (II p. 3). Sæpe *ac* vel *atque* sic adhibitum reperitur, id quod apud linguæ latinæ scriptores perraro evenire dicitur [1]). 1, 5. 2 domum, patriam ac patrem. 2, 3, 6 exercitibus nostris, urbibus atque provinciis. M 25, 1 fide ejus, vita atque virtute. 2, 40, 4 Italiam, Illyriam atque Orientem. Cfr 2, 41, 3. 2, 11, 7 per Parthos, Medos, Indos atque Aethiopas. Nonnumquam ultimum membrum per *et extremo* adnectitur, id quod Madvig [2]) negat umquam fieri. Cfr D 1, 26, 2.

Et contra Ciceronis consuetudinem positum invenitur, ubi enuntiationi affirmativæ enuntiatio negans opponitur. D 3, 9, 4 serpentes me audiunt, et homines non audiunt. Contra D 1, 14, 8 majestatem tuam feræ sentiunt, homines non verentur.

Frequenter particulæ et adv., quod est *pariter*, per abundantiam appositum videtur. 2, 25, 4 rex pariter et pontifex fuit. Cfr E 2, 5. D 1, 15, 4. D 3, 2, 7.

Notissimum est, particulas *et*, *que*, *ac* jam apud veteres ad notionem quandam diligentius explicandam sæpius adhiberi. Cfr 2, 3, 9 revelato ei futurorum et resurrectionis mysterio. M 21, 4 causam mortis et vulneris. D 3, 13, 3 causam doloris et facti. D 1, 11, 7 ad eremum et sacras solitudines. D 3, 5, 2 nomina testium personasque. Interdum nos *adversativam* particulam usurpare solemus, cum apud Latinos per particulam *copulativam* eadem sententia continuatur et explicatur accuratius. Cfr 2, 17, 4 nec vero hic status diu mansit omnesque se reges appellari voluerunt. Cfr 2, 33, 8. E 1, 9. D 1, 15, 3 (Cfr H.

---

[1]) Dræger II p. 51. [2]) Madvig Lat. Sprachl. [4] p. 399.

s. v. p. 494 seq.). Sunt autem apud Severum loci, ubi sententiæ, quæ oppositionem aperte continent, per *que* part. satis dure connectantur. 1, 36, 1. Deum consulit nullumque ei responsum redditum. Cfr 1, 30, 5. 1, 54, 3. M 3, 1.

Denique annotemus, Severum copulationem membrorum multimodis variasse: et — que 1, 25, 2 justus et carus Deo acceptusque. Cfr 1, 5, 4. 2, 1, 1. 2, 39, 4. 2, 40, 2. E 1, 7. Frequentius multo que per et excipitur. 1, 15, 4 arma signaque et . . . acies. Cfr 1, 11, 4. 1, 17, 4. 1, 19, 5. 1, 21, 5. 1, 31, 3. 1, 44, 3. 1, 53, 6. 2, 23, 6; et — atque: 1, 27, 2 vino et cicera atque inmundis; ac vel atque — et: 1, 3, 2 cum uxore ac filiis . . . et uxoribus. 1. 12, 4 cum patre atque omni progenie et familia; ac vel atque — que: 1, 19, 3 tabernaculo atque arca rituque sacrificandi. 2, 4, 5 ferro ac fame diversoque mortis genere. Cfr D 1, 17, 8; que — ac, atque: 1, 53, 4 urbem murosque ac templum. Cfr 1, 4, 4. 1, 6, 1. 1, 24, 2. 2, 38, 2. D 1, 20, 3. D 1, 22, 2; atque — que — et: 1, 53, 6 emissus atque a rege in amicitiam receptus mensaque et consiliis participatus; que — et — ac: 1, 1, 3 exeidium Hierosolymæ vexationesque populi Christiani et mox pacis tempora, ac rursum . . . turbata omnia . . .; que — ac — atque: 1, 54, 4. cænoque ac sordibus atque . . . foetore . . . (Perraro part. ac repetitam poni commonet Dræger Tac. § 116).

De *asyndeto*, quod vocatur, hic nonnulla inserantur. Jam notum est, sæpe omitti vocabula illa, quibus quasi articulis connectuntur vocabula et sententiæ, ubi festinat oratio. Hujus usus exempla apud Severum sexcentis locis reperiuntur. Cfr 1, 30, 6 victi Hebræi: arca capitur, filii sacerdotis cadunt. Cfr 1, 33, 10. 1, 34, 5 et sæpe alias. Rarius est asyndeton in conditione moribusve hominum describendis. D 1, 10, 1 quibus summum jus est, abbatis imperio vivere, nihil suo arbitrio agere, per omnia ad nutum illius . . . pendere. D 1, 21, 4 parva prius ac vili cellula contentus habitare erigit celsa laquearia, construit

multa conclavia, sculpit ostia, pingit armaria, vestem respuit grossiorem et q. s. Cfr D 1, 9, 5.

In *enumeratione* frequenter occurrit asyndeton velut jam apud veteres. D 3, 12, 2 fide, sanctitate, virtute. D 1, 26, 6 infelices, degeneres, somnulenti. D 2, 8, 3 vagam, nitidulam, sumptuosam. D 1, 8, 6 carperet, laceraret, exponeret. 1, 31, 5 ruere, festinare, exultare, gratias . . . referre.

Ne in *contrariorum* quidem associatione insolens est asyndeton: 2, 44, 8 bono initio, foedo exitu. 2, 1, 8 S. absoluta, præsbyteri . . . damnati. Cfr 2, 15, 7. 2, 21, 8. 2, 23, 6. M 17, 5. D 3, 1, 7. D 3, 13, 6. Sic et Cic. et Liv. et alii scriptores locuti sunt [1]).

Explicativi, quod vocatur, asynd. [2]) hæc afferantur exempla. 2, 19, 8 tum vero foedum spectaculum: per universas urbes . . . litabantur, sacra . . . volumina cremata. Cfr 1, 41, 4. 2, 8, 8. D 2, 5, 6. D 2, 10, 4. D 2, 12, 6.

Crebro *colligendi* vim habet ita, ut quæ e prægressis enuntiationibus eveniunt per asynd. inducantur [3]). 1, 23, 5 inhiant possessionibus, prædia excolunt, auro incubant, emunt venduntque, quæstui per omnia student. Cfr D 1, 8, 6.

Particulæ disjunctivæ. *Vel* — *vel* insolenter positæ inveniuntur, ubi copulativas particulas exspectes. Exemplis ab Halmio in Indic. laudatis hæc adscribenda videntur. M 7, 5. D 3, 17, 3; quamquam consimilia nec apud veteres scr. desunt exempla [4]).

Interdum inter se relatæ sunt *aut* et *vel*, id quod Hand negat usquam fieri, nisi apud poetas [5]). M 1, 4 non scribendo aut pugnando vel philosophando. Cfr Min. Fel. 10, 3. Alia est ratio loci D 3, 5, 5 quæ aut ipsi vidimus aut quæ manifestis auctoribus vel plerumque ipso refe-

---

[1]) Cfr Kühner l. l. p. 750. Dræger Tac. § 137. Nägelsbach l. l. p. 551.

[2]) Nägelsbach l. l. p. 551.

[3]) Kühner l. l. p. 755 seq. Nägelsbach l. l. p. 564.

[4]) Kühner l. l. p. 711. Dræger II p. 138.

[5]) l. l. p. 549.

rente cognovimus; hic enim vel præcedenti aut subjungi manifestum est. Nonnumquam *nec* — *vel* et *nec* — *aut* inter se respondent. Qua de re vide Halmium.

Vel sæpissime in *amplificando* adhiberi, vix opus est commemorare. Cfr 2, 20, 2 vel in bello occumbere. 2, 28, 1 vel inmanium bestiarum. 2, 28, 2 vel in feminis: Cfr 2, 49, 9. M 22, 5. E 2, 14. D 1, 4, 6. D 1, 9, 5. D 1, 20, 5. D 1, 27, 6. D 2, 8, 9. D 3, 5, 3 et sæpius. In exemplis afferendis legitur: 2, 14, 4 idque vel ex hoc conjicio, quod. Cfr M 16, 1. D 2, 4, 3.

Interdum per *aut* — *aut* ea, quæ æqualia et unius fere generis sunt, componuntur ita, ut copulativam vim habere videantur. Qui usus sic explicatur, ut dicant, non alterum membrum altero tolli, sed tertium excludi [1]). Cfr M 2, 4 animus tamen aut circa monasteria aut circa ecclesiam semper intentus meditabatur. Cfr E 3, 19.

Aut pro *neve* apud Severum nonnumquam legitur [2]). 1, 4, 1 ne sanguine vesceretur aut sanguinem . . . effunderet. D 1, 6, 1 ne quis . . . legeret aut haberet.

Particulæ adversativæ. *At* historicorum maxime consuetudine in transitu ad aliam rem narrandam sexcentis locis occurrit [3]), et sæpissime quidem cum personarum nominibus vel pronominibus conjunctum: 1, 7, 3. 1, 8, 1. 1, 9, 3. 1, 10, 4. 1, 11, 4. 1, 14, 1, cet.; frequenter at ille: 1, 14, 3. 1, 25, 3. 1, 26, 5. 1, 35, 5. M 13, 8. E 1, 5. D 2, 11, 3 et sæpe alias.

Similiter *ceterum* Sallustii et Livii more in oratione continuanda vel ut transitum paret crebro adhibetur. [4]). Cfr 1, 12, 5. 1, 21, 6. 2, 16, 7. 2, 36, 4. 2, 38, 5. 2, 39, 4. D 2, 10, 4. D 2, 13, 1. D 2, 14, 1 et sæpius. Interdum legitur, cum oratio insertis sententiis interrupta ac deflexa ad institutam expositionem rursus restituitur vel cum causa redditur, cur de aliqua re mentio sit facta. Cfr D 1, 5, 3. D 3, 5, 2.

---

[1]) Cfr Kühner l. l. p. 707. [2]) Madvig l. l. § 459.
[3]) Cfr H. I p. 422. [4]) H. II p. 38. Kühnast l. l. p. 370.

Sunt loci, ubi *porro* adversativam vim habere videatur. Cfr 2, 14, 4 nam duodecimo regis illius anno Judith fuisse signatur. porro Cambyses non ultra VIII annos rerum potitus est. Cfr D 2, 11, 2. (Sall. Jug. 25, 7. Min. Fel. 34, 9).

Per *sed* frequenter non opponuntur diversæ aut contrariæ sententiæ, sed continuatur simpliciter oratio, id quod jam apud veteres factum reperitur [1]). Cfr 1, 2, 2 et 3. 1, 4, 7. 1, 9, 1. 16, 1. 1, 17, 6 et sæpissime.

Particulæ conclusivæ. De *collocatione* particularum, quæ sunt *igitur* et *itaque*, annotandum est, igitur semper fere enuntiationis initium obtinere, itaque sæpius secundo loco poni.

Proinde insolenter idem significat atque itaque. D 3, 1, 3 proinde ... gratulamur. In adhortationibus suum locum solum habere grammatici docent [2]).

Sed hæc hactenus de iis particulis, quæ in *enuntiationibus primariis* usurpantur. De iis, quæ in sententiis *secundariis* ponuntur, infra nonnulla disseremus. Ad *præpositionum* jam gravissimum genus transeamus. Multum ac sæpe in earum usu a solita loquendi norma recessit Severus. Ad eas autem primum convertimur præpositiones, quæ accusativum desiderant.

Ad apud Severum, sicut interdum jam apud antiquiores scriptores [3]), usurpatur de re, ad quam usque aliquid fiat. 1, 23, 3 cæsaque ad internecionem. Cfr 1, 29, 5.

Ad tempus i. s. q. ad quoddam tempus: D 3, 14, 1 inminutam ad tempus gratiam multiplicata mercede reparavit. (Cic. Læl. 15, 53. Liv. 25, 40, 8) [4]).

Illud vero memorabilius, quod ad frequenter *causam* notare videtur [5]). M 24, 8 ad hanc ille vocem ... evanuit. D 2, 9, 6 ad primum imperium constiterunt. 1, 35, 8 ad

---

[1]) Cfr Kühner l. l. p. 684. [2]) Kühner l. l. p. 747.
[3]) Kühner l. l. p. 380. Dræger l. l. p. 579.
[4]) Kühnast l. l. p. 360.
[5]) Dræger l. l. p. 579. Kühner l. l. p. 381.

hæc Saul culpam fateri. Cfr 2, 15, 8. M 23, 6. D 2, 4, 4. D 2, 9, 2. D 3, 9, 4. Nec raro tempus significat, in quo alia res simul fit, nulla causæ significatione. M 20, 4 ad medium convivium. D 3, 10, 4 ad primum jactum.

Sæpius et audacius, quam apud veteres scriptores ad *consilii finisque* rationes designandas adhibetur [1]). 1, 12, 3 ad promissi fidem traditur. 1, 51, 3 XV annos prorogare sibi ad vitam meruit. M 1, 5 ad veram religionem reformavit (Ap. Lact.). M 9, 1 ad episcopatum petebatur. 1, 6, 4 ad stuprum flagitabant. M 3, 5 ad baptismum convolavit. Cfr M 2, 5. D 1, 25, 5. 2, 1, 6. More Sall. Livii, poet., poster. *cogere ad:* 2, 42, 3 omnes episcopos ad consilium cogere jubebantur. Cfr M 6, 4. 10, 8. 24, 2.

Multi sunt loci, ubi *simplicis casus* vicibus fungitur. 1, 11, 5 cum somnia sua ad Joseph retulissent. M 14, 4 precabatur ad Dominum 2, 11, 2 orasse ad Deum traditur; cfr M 11, 4. D 1, 10, 1 — M 4, 3 inquit ad Cæsarem. M 6, 1 ad eum ait; sæpissime loqui ad: 1, 14, 2. 1, 25, 6. 1, 30, 2. 1, 40, 3. D 1, 22, 6.

Frequentius pro *in* usurpatum reperitur: 2, 45, 3 si forsitan redire ad exilium juberetur; cfr 2, 45, 4. M 6, 5 ad insulam recessit. M 10, 7 ad locum ... conveniebant. M 20, 3 ad convivium venit; pro ex dictum videtur: D 1, 10, 1 ad nutum illius potestatemque pendere.

Adversus sæpe ponitur, ubi *cum* potius locum teneret. 1, 24, 4 isque adversus Allophyllos congressus; cfr 2, 28, 6. — 1, 38, 3 adversus hunc acie conflixit; cfr 2, 17, 1. 2, 23, 5. 2, 24, 2 et 4. 2, 41, 7. — 2, 33, 1 qui adversus Constantium de imperio certavit. 2, 35, 5 adversus quos de fide disceptare non poterant. Rara apud veteres hujus structuræ exempla videntur esse.

Pro *contra* dictum videtur, ut interdum jam apud antiquiores script. [2]). 1, 32, 5 adversus se petentibus. Cfr 1, 11, 8. 1, 21, 1. 1, 40, 4. D 3, 11, 11. Substantiva, quæ

---

[1]) Cfr Kühner l. l. p. 381. Dræger l. l. p. 582.

[2]) Cfr Dræger l. l. p. 599 seqq.

sunt *exemplum*, *documentum*, *patientia* insolenter cum præp. adversus conjunguntur. D 1, 20, 1 egregium adversus inflationem ... exemplum ... adv. falsam justitiam non mediocre documentum. Cfr M 26, 5. D 1, 21, 6.

Ante cum *breviloquentia* quadam a veteribus non prorsus aliena [1]) sæpius adhibuit Severus. M 13, 9 ante Martinum (i. e. antequam M. venisset). M 1, 7 ante episcopatum. D 3, 15, 2 ante clericatum.

Apud multis locis occurrit non solum, ut jam apud Tacitum, Sueton., cet. [2]) pro ablativo loci vel in seq. abl. aut ad: 2, 11, 1 apud Babyloniam. 2, 29, 1 ap. Antium. 2, 31, 6 ap. Hieros. M 4, 1 ap. El. ... 1, 8, 2 apud puteum. 1, 17, 1 ap. locum. 2, 28, 3 ap. urbem; sed sæpius etiam pro accusativo loci vel in seq. acc.: 2, 35, 4 ap. N ... contrahitur. 2, 36, 5 ap. Sardicam ... congregari. Cfr 2, 41, 1. 2, 42, 1. 2, 47, 1. (Lact. de Mort. Pers. 48. H. s. v. 415). Pro dativo casu dictum videtur. D 3, 15, 6 non erat apud Martinum labor iste difficilis. Minus insolenter 1, 48, 6. Jonæ apud Deum conquerenti (Cfr Hand. s. v. p. 413).

Circa de tempore usurpatur apud Severum, sicut apud Liv. poet. poster. [3]). 1, 48, 1 circa hæc tempora. Sæpe eodem sensu ac de, in, erga. M 2, 4 aut circa monasteria aut circa ecclesiam semper intentus meditabatur. D 2, 6, 1 circa Martini admirationem reginæ fidelis exemplum. 1, 34, 6 multus circa David favor. M 2, 7 circa commilitones benignitas. E 3, 8 circa aves imperio. (Poet. poster) [4]).

Extra i. s. q. *præter:* 2, 11, 3 cum eum rex moestum extra solitum animadvertisset. M 27, 1 extra naturam hominis (Hand. s. v. 677 seq.).

Inter de tempore positum reperitur [5]) 2, 11, 3 inter

---

[1]) Cfr Hand. s. v. 367.
[2]) Cfr Kühner l. l. p. 382. Dræger l. l. p. 582.
[3]) Hand. s. v. p. 64.
[4]) Kühner l. l. p. 395. Dræger l. l. p. 618. H. s. v. p. 66.
[5]) Hand. s. v. p. 402 et 6. Dræger l. l. p. 610. Kühner l. l. p. 402.

epulas (Sall.), 2, 47, 5 inter initia (arg. æt.). 2, 51, 10 inter hæc (Liv. poster.). D 1, 2, 2 inter ista. Cum *verbis motum* significantibus conjungitur, ut interdum apud Liv. poet. poster. [1]). M 21, 4 bovem . . . inter inguina cornua adegisse.

Intra creberrime cum verbis *motum* indicantibus conjunctum occurrit, id quod raro fieri apud Latinos grammatici commonent [2]). 2, 29, 5 intra muros confugere. Cfr 1, 43, 2. 2, 39, 4. 2, 42, 5. 2, 46, 2. 2, 51, 4. M 22, 3. D 2, 6, 3. Translata significatione numeralibus apponitur: 2, 43, 3 dummodo is numerus intra quindecim esset. Perraro apud Cic. translate dicitur, sæpius apud poet., poster. [3]).

Juxta eodem sensu ac *secundum* uno Liviano loco excepto apud recentioris ætatis script. solos inveniri Dræger (p. 587) docet: 2, 42, 4 juxta ea.

Ob sexcentis locis apud Severum occurrit; ita frequenter ob id pro ideo: 1, 5, 3. 1, 9, 4. 1, 10, 6, cet. ob quod 1, 34, 2. 2, 24, 2. (Liv. poster. H. s. v. 361). Perraro apud omnes scriptores causam significat in animo sitam, ex qua actio prodit [4]). 1, 32, 1 trepidantibus ob conscientiam peccati.

Per sæpissime adhibuit Severus et quidem frequenter ad agentem personam significandam, ubi ab præp. exspectares. 1, 47, 4 per Az. increpitus. D 3, 8, 4 per M. fugatus. Cfr 1, 16, 6. 1, 36, 4. 1, 50, 3. 2, 9, 1. 2, 31, 4 et sæpius. Jam Ciceronis æquales sic dixisse Dræger (p. 625) commonet. *Causali significatione* legitur [5]): 1, 21, 3 per diffidentiam. D 3, 1, 3 per gestorum admirationem. D 3, 7, 5 cum . . . per assidua damna trepidaret. *Distributivé* crebro usurpatum reperitur: 1, 22, 2 dimissis per castra nuntiis. Cfr 1, 4, 5. 1, 23, 4. 1, 29, 4. 1, 50, 3. 2,

[1]) Kühner l. l. p. 401. Dræger l. l. p. 608.
[2]) Cfr Kühner l. l. p. 399. Dræger l. l. p. 612.
[3]) Kühner l. l. p. 400. Dræger l. l. p. 612.
[4]) Cfr Dræger l. l. p. 592.
[5]) Dræger l. l. p. 607. Kühner l. l. p. 405.

5, 4. 2, 11, 7. 2, 13, 4. 2, 17, 2. 2, 30, 8 et sæpe alibi. Cfr præterea M 19, 4 per confragosos scalæ gradus decidens. (Liv. poster. poet.). *De tempore*, in quod aliquid incidit, multis locis dicitur. Sic per idem tempus = eodem tempore 1, 6, 1. 1, 7, 1. 1, 11, 1 et 9. 1, 17, 3. 1, 51, 3. 2, 1, 5. 2, 10, 3. per hæc tempora 1, 29, 1. per illos dies D 1, 10, 2.

Post sequente acc. raro invenitur apud classicos, qui vocantur, script. in locutionibus, quæ sunt paucos post dies = paucis diebus post. Cfr 1, 38, 2. 2, 22, 6. D 2, 1, 1. D 2, 8, 9; vel post octo fere annos et simil. 1, 46, 1. 2, 5, 5. 2, 19, 2. 2, 26, 1. D 1, 15, 6. D 2, 13, 3. (Cfr Vogel p. 24). Cfr præterea post id, post hæc pro postea: 1, 7, 6. 1, 35, 6. E 2, 15. D 1, 11, 1. (Poet. post. Hand. s. v. p. 495). Cum breviloquentia quadam, melioribus script. non prorsus inusitata [1]) sæpius adhibetur. 1, 24, 7 peccasse post veniam. E 3, 21 post triumphos suos. D 1, 6, 5 ut neminem post apostolos habeat æqualem.

Præter insolentiore notione idem significare quod *per* Halm docet. Exempla quære apud Halm.

Propter satis raro apud Severum legitur. Cfr 1, 17, 6. 2, 30, 8. D 1, 2, 1 et 6 et aliis locis nonnullis.

Ultra translata significatione terminum, quem quid transit notans sæpius occurrit. D 2, 10, 4 ultra omnem speciem. Cfr 2, 21, 4. Crebro de tempore dicitur: ultra biennium 1, 42, 4 et 5. 1, 51, 5. ultra VIIII annos 2, 14, 4; cfr 2, 30, 8 (Tac. Sen. Quint.). De hominibus: 1, 43, 1 ultra omnes ... impius. Cfr 1, 49, 3. 2, 16, 8. (Vell. Quint.) [2]). Insolentius i. s. q. *præter:* 2, 27, 2 ne quid ultra Christum expectarent.

Usque interdum per se præpositionis vim habet: 1, 4, 7 usque Abraham. 2, 13, 4 usque Aethiopiam (Liv., poster.) [3]).

---

[1]) Hand. s. v. 492.
[2]) Kühner l. l. p. 398. Dræger l. l. p. 617.
[3]) Cfr Neue l. l. p. 525.

Sequitur, ut præpositiones, quæ ablativum requirunt, deinceps pertractemus.

Ab de re, quam alia res proxime excipit, usurpatum reperitur. 2, 39, 3 ab hoc partium conflictu agitur in exilium. (Liv. poet., post. H. s. v. p. 45). Unde quis sit, nominibus urbium appositum notat: 2, 38, 3 a Singiduno Ursatius, Valens a Mursa ... Acatius a Cæsarea ... Narcissus a Neronopoli. (Varro, Liv. poet.) [1]). Pro ablativo instr. legitur [2]) 2, 31, 5 ut legis servitus a libertate fidei atque ecclesiæ tolleretur.

Absque, vocem priscis tantum recentiorisque ævi script. usitatam [3]), apud Severum sæpius pro sine reperimus 1, 22, 5 cæsique omnes absque ullius effugio. 2, 45, 4 absque exilii indulgentia. M 7, 2 absque baptismate. M 14, 4 absque injuria. E 1, 7 absque divino consilio.

Cum e depravatæ latinitatis script. consuetudine sæpius ablativo instrumentali adjungitur. 2, 41, 3 propriis cum sumptibus vivere. D 3, 2, 6 pusillum olei cum exorcismi præfatione benedixit. Cfr Firmic. 3, 1. 18, 3. 28, 1. Sæpius quam apud antiquiores script. [4]) copulationem satis laxam exprimit. 1, 4, 1 mox a Deo cum filiis benedicitur, 1, 27, 4 mulierem cum domo et patre incendio consumpserunt. 1, 44, 3 urbem cum rege obsidere coepit. M 27, 4 ut nos quoque cum tali viro oderint. Cfr 2, 4, 3 et sæpius. Duas res eodem tempore simul fieri indicat, ut interdum jam apud veteres [5]). E 3, 17 cum hac voce spiritum reddidit. Cfr Min. Fel. 4, 6 et sæpissime Apul. (Cfr Koziol l. l. p. 318).

De pro præp. *ab* originem significat, id quod raro et apud poet. poster. evenire Kühner (p. 363) docet. 1, 7, 4 de qua ipse oriundus videbatur. Complura *verba* apud Severum cum de pro iis, quæ sunt ab vel ex, conjuncta reperiuntur. 1, 25, 3 de terra ... eduxerat. 1, 54, 4 educi;

---

[1]) Kühnast l. l. p. 359. [2]) Dræger l. l. p. 548.
[3]) Kühner l. l. p. 372. Dræger l. l. p. 638.
[4]) Hand. s. v. p. 137 seq. [5]) Hand. s. v. p. 141.

. . . de lacu. M 6, 2 de conspectu evanuit. 6, 4 de civitate exturbavit. 17, 1 proferri de cellula. 17, 4 de puero dæmon . . . exactus. 17, 7 fugere de obsesso corpore. Cfr D 1, 20, 1. E 2, 15 de pectore gemitus erumpit. D 1, 15, 5 de rupe prolatos. . . . Ad exprimendam vim casus genitivi adhiberi videtur. M 13, 3 si habes aliquam de Deo tuo . . . fiduciam. Minus insolenter et fortasse ut in collocatione duorum genitivorum ambiguitas evitaretur[1]): 1, 36, 5 eadem nobis de temporibus Samuelis caligo. E 3, 19 de illius gloria exultatito. D 1, 19, 3 de fructu operis spes.

Ex frequenter apud Severum originem et causam notat 1, 2, 3 ex his Cain atque Abel nascitur. Cfr 1, 2, 4 et 6 et 8, sæpe alias. 1, 13, 5 supplicium e facto metuens. 1, 23, 1 gens valida ex urbe opulenta. 1, 37, 6 bellum ex injuria . . . exortum. D 1, 1, 5 ex Martini sit disciplina: D 1, 6, 1 ex ea occasione vel causa. D 2, 3, 4 ex hoc furentes, quod. 1, 18, 3 exque eo ictu obierit. Cfr 2, 9, 5 et sæpius. Jam veteres script. sic locutos esse, notum est[2]). Pro simplici ablativo instrumenti positum videtur[3]). 1, 16, 7 ex reconditis in posterum quoque diem consulens E 2, 19 ut . . . tibi ex quadam nostri confabulatione præstaret charta solacium. E 3, 2 qui in jus nostrum ex tua . . . liberalitate venerunt. D 1, 13, 4 ex iis . . . ille vivebat. (Cfr Ov. M 1, 144 vivitur ex rapto, Firmic. sæpissime, velut: 2, 5 et 9. 6, 4. 13, 4. 16, 2. 27, 1). Argentea ætate increbruit mos, quo ex seq. substantivo in quibusdam formulis pro simplici subst. legitur[4]). 1, 45, 1 cum ex ministris, qui . . . consulerent, misisset. D 3, 1, 7 Eucherium ex vicariis (i. e. vicarium). D 3, 14, 3. Lucontius ex vicariis. 2, 31, 5 M. ex gentibus. Pro genitivo partitivo frequentius quam apud antiquiores script. pronominibus adjunctum videtur: quidam

---

1) Hand. s. v. p. 202.
2) Kühner l. l. p. 368. Dræger l. l. p. 637 seq.
3) Kühner l. l. p. 368. 4) Vogel l. l. p. 26.

2, 40, 3. D 3, 13, 5. D 3, 14, 6. aliqui M 22, 3. si qui M 27, 4. D 1, 10, 1. nequid 1, 33, 9. nemo 1, 34, 4. 1, 35, 5. M 13, 9. nullus M 20, 3. nihil 2, 14, 7. alter 1, 39, 3. unusquisque 2, 1, 8. Cum adjectivis: plerique 1, 49, 4. M 24, 3. multi M 12, 5. plures M 10, 9.

Præ sæpius pro eo, quod est propter vel simplici abl., adhibitum reperitur. 1, 5, 3 præ multitudine ... digressus. 1, 18, 1 præ timore inhorruit. Cfr 1, 13, 7. M 13, 9. D 1, 1, 2. D 1, 4, 2. D 3, 6, 1. D 3, 15, 4. (Poet. poster.[1]). De præstantia pro eo, quod est præter, usurpatur [2]). 1, 2, 6 præ ceteris mortalibus Deo carus acceptusque.

Pro mire ablativo instrumentum significanti additum est M 2, 7 pro quibus rebus sibi ... omnes commilitones devinxerat. Nec minus insolenter causam notare videtur. 1, 12, 8 pro conscientia paventes. 2, 29, 5 pro conscientia scelerum invisus. D 1, 1, 5 pro eo, quod tibi est carissimus, non potest mihi non esse carus. (H. s. v. p. 587 seq.). Finali vi legitur: E 2, 12 nam quas ille pro spe æternitatis non pertulit passiones. D 1, 7, 1 sicut pro redemptione hominis ... venisset. (H. s. v. p. 586). Vulgariora sunt hæc exempla: M 5, 6 orans, ut pro se Dominum precaretur. 7, 6 pro quo Martinus oraret. (Poet. poster. Krebs p. 859).

Sine in deliciis Severo fuisse locorum copia manifestat. Sic sæpius sine sequente subst. pro adjectivo vel adverbio neganti adhibuit. 1, 54, 1 quamquam sine viribus, infido ingenio et q. s. 2, 44, 6 sine initio, sine tempore. 2, 46, 9 sine modo. 2, 31, 6 sine crimine. E 2, 12 sine cruore martyrium. D 2, 1, 2 sine dilatione. Vis integræ enuntiationis præpositione sine seq. subst. expressa videtur. M 3, 2 cum utique plus habentes vestire pauperem sine sua nuditate potuissent. D 3, 6, 4 sine interrogatione vexatos et sua crimina confitentes. (Cfr Justin. 5, 6, 3. 12, 7, 8. Sulp. Sev. 1, 22, 5 cæsique omnes absque ullius

---

[1]) Cfr Kühner l. l. p. 374. Dræger l. l. p. 641.
[2]) Kühner l. l. p. 407. Dræger p. 641.

effugio. 2, 45, 4 absque exilii indulgentia). Cfr denique 1, 12, 4 tum se cognoscendum Joseph fratribus præbuit, non sine pudore male merentium. 1, 37, 2 jugulari eum præcepit, non sine dolore regis ... 1, 39, 4 puerum illi adjudicavit, non sine circumstantium admiratione. Cfr E 3, 8. D 3, 5, 6. D 3, 14, 6.

Jam reliquas præpositiones perlustremus, ac primum quidem *in cum accusativo* conjunctum in medium proferamus.

In sequ. acc. substantivi inde a Livii ætate apud inferioris ætatis script. frequenter ita breviter usurpatum reperitur, ut finem rei, propter quam aliquid agitur et consilium, ex quo agitur et effectum significet, quod melioris notæ scriptores plena enuntiatione exprimere solebant [1]). Ex multimodis exemplis, quæ sunt apud Sev., hæc deligamus: in testimonium 1, 14, 4. 1, 18, 8. 1, 29, 4. D 1, 19, 5 et sæpius. in honorem 1, 28, 5. in ludibrium 1, 29, 3. in solacium 2. 38, 5. in exemplum M 22, 6. M 36, 8. D 3, 10, 5. in usum 1, 45, 5. 2, 29, 2. M 7, 3. in sumptum 2, 39, 9. D 3, 14, 6. in ultionem D 3, 16, 1. in typum ecclesiæ præmissa 1, 23, 5. qui ... in regem ... unctus fuerat 1, 45, 5. in admirationem ingenii prudentiæque ejus ... amicitiam foedusque petiere 1, 39, 5. in damnationem subscriberent 2, 39, 1. Brevitate audacius: in Athanasium subscribere 2, 39, 9. in verbera consurgunt D 2, 3, 6. quod in lectos nostros paratur D 2, 8, 6. in orationem prosternitur D 3, 2, 5. Consecutivam vim his locis habere videtur. 1, 16, 7 reposita in vermes effervescebant. 1, 47, 4 cum ... in iram exarsisset (Tac. in iras exard.). 1, 54, 3 in iram excitatus. 1, 6, 6 in molem conversa. 2, 1, 7 in hanc constantiam prorupisse. M 22, 1 in Jovis personam ... transfiguratum. D 2, 3, 6 in inmobilem saxorum naturam rigescere. D 3, 4, 4 solvitur in soporem. D 3, 9, 1 molem solvit in pulverem. D 3, 3, 2 ut rotunda in ventrem cresceret. 2, 6, 3 in versum ductæ litteræ. Huic generi adjungantur formulæ illæ: in quantum 1, 18, 4. in tantum M 1, 5 pro iis, quæ sunt quan-

---

[1]) Kühner l. l. p. 412. Dræger l. l. p. 658.

tum, tantum. (Liv. poet. post. Kühner p. 414). Pro abl. respiciendi in seq. acc. usurpatur, quod genus loquendi inferioris ætatis esse Dræger (p. 657) commonet. 2, 32, 2 in studia reginæ certantium. (Cfr Apul. met. 1, 19 æmulus in colorem). *In modum* seq. genitivo nominis more Sall., Liv. poster. ponitur. 1, 16, 5 in modum coriandri seminis. 2, 28, 2 in modum sollemnium conjugiorum. Dativi vices sustinet. E 1, 4 ut in Dominum hac voce potuisset dicere. Sæpissime apud Severum terminum temporis significat, usque ad quem quid producitur, plerumque addito usque. 1, 17, 2 in noctem cecidit. Cfr 1, 12, 5. 1, 29, 8 usque in id tempus. 2, 5, 7 usque in primum Cyri regis annum. Cfr 2, 9, 3 et 9. 2, 11, 9 (bis). 2, 16, 7. 2, 25, 4. 2, 27, 5. 2, 28, 1. D 2, 1, 2. (Infer. æt. scr.)[1]). Cfr præterea hos locos, ubi in pro ad legitur. 1, 16, 6 in id paratis. D 1, 13, 4 in cenam præparabantur. Chr. 2, 44, 2 (supplicium) in quod deposceretur. Interdum in cum accusativo conjungitur, ubi abl. exspectares. 1, 42, 1 in hujus locum Abiud ... regnum ... sex annos tenuit. D 1, 10, 3 in occursum fratrum ... captivam bestiam ... deposuit. Etiam optimos script. tali breviloquentia usos esse constat[2]).

Sæpius per in *seq. abl.* significatur, aliquem esse vestimentis vel armis vel habitu indutum pro cum præp., quæ apud optimos sol. or. scr. legitur[3]). D 1, 4, 1 senem in veste pellicia; cfr D 2, 10, 8. 1, 5, 4 in armis erant. M 24, 7 in eo habitu formaque; cfr E 2, 3. D 1, 7, 1 sicut in carne venisset. D 3, 7, 2 mansit in corpore. Frequenter pro simplici ablativo limitationis aut instrumenti poni videtur[4]). M 5, 1 in Dei rebus spectata et cognita fides. D 1, 8, 3 ut se illi in omni scientia nemo audeat conparare. D 1, 22, 2 in omni genere virtutum perfectus. E 1, 14 fatebatur, in

[1]) Cfr Hand. s. v. p. 336. Dræger l. l. p. 655.

[2]) Kühner l. l. p. 431 seq. Dræger l. l. p. 660 seq. Kühnast l. l. p. 188 seqq. Hand. s. v. p. 344 seqq.

[3]) Hand. s. v. p. 260. Kühner l. l. p. 408. Dræger l. l. p. 653.

[4]) Cfr Hand. s. v. p. 272 seqq.

hoc se ... deceptum. — E 2, 8 qui stolas suas in sanguine laverunt. M 4, 5 in nomine Dei. Cfr D 1, 14, 8. D 3, 3, 8. D 3, 9, 4. M 2, 8 regeneratus in Christo. D 1, 10, 4 in humilitate servire. 1, 8, 1 duos in his populos prænuntiare. 2, 3, 4 in ventre aureo tertium regnum portendi. E 1, 2 in verbis ejus perfidiam ... cognoscimus. D 3, 17, 7 universæ Asiæ in solo Martino Europa non cessit. (Cfr Liv. 26, 43, 3 in una urbe universam ceperitis Hispaniam; plura ejusdemmodi e recent. repetita exempla affert H. III p. 267).

Interdum pro genitivo dictum videtur. 1, 18, 4 in triginta didrachmis pecunia domino numerabitur (Suet. Gall. 8 decies sestertium in auro. H. s. v. p. 276). 1, 47, 2 prolixus tempus in regno habuit. M 26, 2 perseverantiam et temperamentum in abstinentia et jejuniis, patientiam in vigiliis et orationibus. Ignorantiæ vel negligentiæ scriptoris tribuendum videtur, quod sæpius accusativus et ablativus confunduntur ita, ut abl. pro acc. post præp. in ponatur. 2, 22, 4 in bello conspiraverunt. 2, 38, 2 in perfidia conjuraverunt. 1, 9, 1 sibi in matrimonio postulans. 1, 34, 8 in matrimonio accepit. 1, 43, 1 in matrimonio accepta. Denique annotamus, præp. in sequ. abl. sæpenumero loco enuntiationis secundariæ adhiberi, id quod jam apud Cic. imprimisque apud Liv. factum scimus [1]). 1, 36, 6 in tanta erroris copia. 1, 42, 3 in pedum dolore. 1, 49, 5 in hoc nefariæ mentis piaculo. 1, 50, 6 in hoc rerum statu. 1, 54, 6 an secum abire in summis honoribus vellet. 2, 1, 1 in absolutione Susannæ. 2, 14, 4 si in historia opinari licet. M 25, 7 in Martini virtutibus. D 1, 27, 4 Zachariæ in Johannis nomine lingua resoluta est. D 2, 7, 5 in Martino ista regina utrumque complerit. D 3, 2, 2 in comparatione. 3, 4, 4 in illo noctis horrore. 3, 18, 4 in ultione illius.

Sub sequente abl. apud Severum sæpissime occurrit in his locutionibus: 1, 24, 5 sub hac duce vel judice. 1, 30, 1 sub hoc. 1, 34, 2 sub patre. 1, 36, 5 sub sacerdote. 1, 47, 3

[1]) Cfr Dræger l. l. p. 651. Kühner l. l. p. 408. Kühnast l. l. p. 364. Hand. s. v. p. 258 seq.

sub hoc. 2, 12, 1: sub rege. 2, 12, 1 sub quo. M 2, 2 sub rege Constantio ... sub Juliano. 9, 2 sub quadam custodia. 2, 31, 3 sub Hadriano. D 2, 7, 4 sub viro vivens. D 3, 5, 5 sub Deo vivere. — 1, 34, 6 sub specie; cfr 2, 43, 2. M 21, 1 sub imagine. — 2, 31, 5 sub legis observatione. 2, 39, 5 sub imperatoris nomine. 2, 45, 8 sub satisfactione vel poenitentia. 2, 46, 7 sub quadam conjuratione. M 23, 2 sub professione monachi. D 1, 7, 6 sub Christi confessione. D 3, 5, 1 sub invocatione divinæ majestatis. Ejusmodi locutiones, quæ apud classicos, qui vocantur, scriptores raræ sunt, a Livii ætate increbruerunt [1]). De tempore frequenter legitur: 2, 29, 6 sub sæculi fine; cfr 2, 33, 3. M 24, 4 sub isdem diebus. D 1, 14, 2 sub nocte. D 3, 3, 3 sub ... benedictione. D 3, 9, 3 sub momento temporis. D 3, 11, 9 sub illa occasione. Jam Cæsar et Livius ita locuti sunt [2]). Insolentius D 3, 1, 3 quasi sub testibus consignatam abs te accepturus est veritatem; fortasse breviter dictum pro sub oculis testium. Ablativus pro accusativo legitur. D 2, 14, 3 sub illius potestate ... redigendas.

Super perraro apud principes sol. or. scriptores i. s. q. de [3]). 1, 19, 3 super ædificando tabernaculo ... edoctus est. D 3, 7, 4 super hoc ... fuisse sermonem. Cfr 2, 10, 5. Insolenter eodem sensu atque in usurpatum videtur. M 18, 4 fimbriæ vestimento ejus detractæ crebras super infirmantibus egere virtutes.

Postremo annotemus, præpositiones interdum satis insolenter non repeti [4]). Cfr 2, 31, 3 et in templo et loco Dominicæ passionis. 2, 45, 8 qui eos vel sub satisfactione vel poenitentia recepissent. Durius etiam 2, 11, 8 usque ad Christi crucem, id est Fufium Geminum et Rubellium consules. D 3, 8, 4 in vico Amb., id est castello veteri. Frequentius multo quam apud veteres script. *que* enclitica

---

[1]) Cfr Dræger l. l. p. 661. Kühner l. l. p. 415.
[2]) Cfr Kühner l. l. p. 415. Dræger l. l. p. 662.
[3]) Kühner l. l. p. 416. Dræger l. l. p. 664.
[4]) Kühner l. l. p. 421.

præpositionibus, quæ sunt: ex, ob, post, affixa est: exque 1, 11, 2. 1, 13, 5. 1, 18, 3. 1, 52, 5 et sæpius. Obque 1, 10, 6. 1, 26, 3. postque 1, 26, 7. 1, 47, 1. 2, 27, 4.

Pars Posterior.

De casibus, temporibus, modis, secundariis enuntiationibus.

Transgrediamur jam ad alteram quæstionis nostræ partem, ac primum quidem nonnulla, quæ ad *syntaxim congruentiæ* sunt revocanda, hoc loco affere liceat. Constructionis igitur, quæ vocatur ad sententiam, qua fit ut nomini collectivo pluralis numerus verbi vel adjectivi vel participii subjiciatur, hæc exempla proferantur: 1, 6, 4 juventus improba . . . flagitabant. 2, 37, 7 pars episcoporum . . . accepit; pars coacti metu et factione in studia partium concesserant. D 2, 6, 4 Martinum uterque compellant. Minus insolenter 1, 22, 2 populum certiorem facit, frumentum uti pararent. M 13, 4 turba consensit, facilemque arboris suæ habuere jacturam. Cfr etiam 1, 4, 5 se . . . multitudo contraxit, his consilium fuit. (Cfr Liv. 21, 11, 3.) [1]. Hæc structura, quæ a Cicerone omnino aliena est, apud rerum scriptores, imprimis apud Livium, late patet. [2].

Subjecto feminini generis neutrum prædicati adjungitur. E 3, 13 bonum mihi est, Domine, voluntas tua. Hanc constructionem apud Ciceronem rarissimam esse nec fere ab eo usurpari nisi in adjectivis commune, extremum, proprium, quæ substantivorum vices sustineant, Kühner (p. 21) commonet.

---

[1]) Cfr Kühner l. l. p. 19.

[2]) Kühner l. l. p. 16 seqq. Dræger l. l. p. 170 seqq. Kühnast l. l. p. 60 seqq.

Per quoddam anacoluthiæ genus participia interdum non in eodem ponuntur casu, quo sunt vocabula, ad quæ referuntur. Exemplis ab Halmio p. 3 allatis hæc fere addenda videntur: 1, 11, 3 cum prodeunti puero, ad dinoscendum, qui prius nasceretur, obstetrix manum ejus cocco illigasset. 2, 10, 5 ceterum Esdram nihil super reficienda urbe egisse comperio, credo potiorem curam ratus ... D 1, 15, 4 nam subinde restitans, subinde respectans facile poterat intelligi, id eam velle, ut ...

Ubi plura subjecta junguntur, frequenter apud Severum ad proximum refertur numerus verbi vel adjectivi vel participii. Res si subjecta significant, cognatæ plerumque significationis sunt. 1, 11, 8 spes atque salus Aegypti in illo sita erat. 1, 54, 5 obsessos vis hostium et penuria urgebat. 2, 2, 5 sed ferrum atque testum inter se confusum coire non poterat. 2, 37, 7 fides sacra et veritas potior erat. D 1, 25, 6 ne qua ex hoc vanitas atque inflatio ... obreperet. Personæ subjectis notantur: 1, 17, 2 assumpto Aaron et Ur. 1, 19, 2 adhibito secum Aaron, Nabad et Abiud. 1, 21, 6 excepto enim J. et Ch. 1, 14, 5 advocato ad se M. et A. 2, 9, 2 Syria atque omnis Judæa regebatur. 2, 51, 10 plebs ... et optimus unusquisque probro atque ludibrio habebatur. 2, 44, 1 constantissimus inter eos habebatur noster Foegadius et Servatio. Jam optimos scriptores ita sæpius dixisse, res est notissima [1]).

Contrario modo pluralis numerus ponitur, ubi optimæ notæ scriptores singularem prætulissent. D 3, 6, 4 ille se Jovem, iste Mercurium fatebantur. Interdum Livium et semper fere Tacitum hoc modo locutos esse commonent grammatici [2]).

Appositionis, quæ dicitur partitivæ, hæc annotavi exempla. M 20, 2 qui imperatores unum regno alterum vita expulisset. D 1, 15, 5 quos singulos de rupe prolatos. Tales structuræ perraræ sunt apud Ciceronem et Cæsarem, apud Sallustium autem et Livium increbruerunt [3]).

---

[1]) Cfr Kühner l. l. p. 30.

[2]) Kühner l. l. p. 31. Dræger l. l. p. 174 seq.

[3]) Cfr Dræger l. l. p. 3.

Ne illud quidem appositionis genus Severo inusitatum est, quo substantivum cum adjectivo conjunctum toti enuntiationi prægressæ additur. 1, 3, 4 rursum emissa folium olivæ retulit, manifestum indicium ... E 3, 18 ad duo milia convenisse dicuntur, specialis Martini gloria.

De Casibus.

Genitivus objectivus quam late pateat apud Severum, hæc exempla documento esse poterunt: 1, 10, 7 consilium necis. 1, 15, 4 viæ errore. 1, 17, 1 exitio ducis. 1, 27, 1 pœnas perfidiæ. 1, 50, 1 sacrilegii poenas. 1, 29, 4 testimonium diri facinoris. 1, 34, 4 filiæ nuptias despondit. 1, 46, 2 facti invidia. 2, 29, 1 invidiam incendii. 2, 31, 5 legis servitus (Cfr Curt. 6, 3, 3 servitium barbariæ). 2, 31, 3 loci injuriam. 2, 38, 6 reverentiam sui. 2, 46, 6 honorem sui. E 1, 11 lassitudo itineris; quamquam consimilia ne apud optimos quidem script. desunt [1]).

Genitivi subjectivi exemplum insolens omisso substantivo regente, legitur 2, 45, 8 Lucifer tum Antiochiæ (audi episcop.). Cfr præterea hos locos: 2, 25, 1 qui partium Alexandri fuerat; cfr 2, 41, 5. D 3, 11, 8. M præf. 6 titulum frontis. D 1, 10, 4 opus illud non suæ fidei sed divinæ fuisse virtutis. D 2, 2, 2 non potest esse nostri judicii. D 3, 18, 1 negotium nostri doloris.

Genitivus appositionalis vel *appositivus* satis frequens est apud Severum. 1, 43, 4 Saraptæ oppidum. 2, 26, 2 Hyrcani cognomen. D 1, 16, 4 ibicis nomen. 1, 16, 4 arboribus palmarum. 1, 27, 3 olivarum arbores. Raro principes sol. or. script. ita loquebantur [2]). Longius multo evagatur usus *genitivi epexegetici vel definitivi.* 1, 20, 3 mannæ cibo. 1, 13, 2 opus durum ædificandarum civitatium. 1, 14, 2 virtutem ei signorum faciendorum impertiens. 1, 16, 3 pericu-

---

[1]) Cfr Dræger l. l. p. 467 seqq. Kühner l. l. p. 304 seq. Kühnast l. l. p. 73 seq.

[2]) Kühner l. l. p. 307. Dræger l. l. p. 466. Kühnast l. l. p. 74 seq.

lum famis. 1, 25, 2 de campo messis. 1, 35, 3 spiritum erroris. 1, 50, 3 conventus diem. 1, 53, 6 solacio depulsæ calamitatis. 2, 13, 9 poenam crucis. 2, 39, 1 ab hoc initio illecti principis. M 10, 7 horam jejunii. M 22, 1 signo crucis et orationis auxilio. E 3, 7 piscium prædam. D 1, 13, 8 fidei virtus. D 1, 19, 3 obœdientiæ virtus. D 1, 19, 1 lex obœdientiæ. D 1, 14, 1 horam refectionis. D 1, 14, 2 cenæ tempus. D 1, 25, 2 verbi imperio. D 2, 2, 3 mortis periculo. D 3, 11, 9 jure gladiorum. Brevitatis audacia insignia sunt 1, 8, 5 locum somnii 2, 31, 3 loco Dominicæ passionis. 2, 33, 5 in loco Dominicæ passionis et resurrectionis et ascensionis. 2, 34, 2 loco passionis. E 3, 20 locum sepulchri. D 2, 3, 5 locum cædis. M 11, 2 tempus passionis. M præf. 5 desuetudine tanti temporis. E 1, 6 periculorum suorum virtutibus.

Genitivus partitivus frequenter apud Severum, sicut apud Liv. et poster.,[1]) pendet ex pronominibus neutr. gen. 2, 1, 3 id negotii; cfr 2, 15, 9. 2, 26, 1 id honoris. M 5, 2 id officii. 6, 1 id responsi. D 1, 19, 2 id operis. D 1, 22, 1 quædam eremi. D 2, 5, 3 quod sermonis. D 2, 13, 3 quid ... divini fuisset horroris. D 3, 11, 1 illud miraculi. Adjectivis his insolentius adjungitur: 1, 17, 6 circa ima montium. 2, 15, 9 ima montium. 2, 34, 2 vastissima ruinarum. 2, 46, 1 pleraque Hispaniæ. M 23, 9 reliquum noctis. D 1, 9, 7 ad Ægypti extrema. D 1, 13, 1 prima eremi. Insolentius etiam adjectivis masc. generis plur. num. subjungitur: 1, 11, 6 a prudentibus Aegyptiorum. 2, 17, 5 plerisque eorum. 2, 18, 6 plerique popularium. 2, 43, 4 plerique nostrorum. 2, 38, 2 multi orientalium. 2, 46, 5 multos nobilium. 2, 46, 7 nonnulli episcoporum. D 3, 1, 5 multos sæcularium. (Liv. poster.)[2]). Cum adverbio *eo* conjungitur, ut jam apud antiquiores script.[3]). 1, 20, 6 eoque mali ventum. 2, 50, 2 stultitiæ eo usque processerat. M 13, 5 eo loci. Interdum

[1]) Cfr Dræger l. l. p. 448 seqq. Kühnast p. 78. Kühner p. 315 seq.

[2]) Cfr Dræger p. 457. Kühnast l. l. p. 78.

[3]) Kühner l. l. p. 318. Dræger l. l. p. 449 seqq.

genitivus partitivus non ponitur, ubi eum exspectares. 2, 39, 1 pecuniasque eis in sumptum affatim gestas. Hujusce generis exempla apud veteres script. satis rara exstant [1]).

Genitivus qualitatis non addito nom. appellativo sæpius occurrit. 1, 10, 2 omnes... sexus virilis peremerunt; cfr 2, 6, 3. 1, 37, 3 rex unguitur annorum circiter XXX. 2, 2, 2 omnes hujus artis interficiebantur. 1, 49, 2 Pache quidam ejusdem nominis.. 1, 54, 7 Godolium ejusdem gentis. Cum verbis, quæ sunt comperire, videre, credere, conjunctus: 2, 37, 1 cum Marcellum parum sanæ fidei comperisset. 1, 7, 4 filium juvenalis ætatis videns. 1, 23 6 at si qui melioris propositi viderentur. 2, 43, 2 ne unius cum patre substantiæ crederetur. Numquam Ciceronem, Cæsarem raro ita dixisse grammatici docent [2]).

Genitivi pretii exemplum legitur 2, 50, 2 Ithacium nihil pensi, nihil sancti habuisse definio. (Cfr Sall. Jug. 41, 9 nihil pensi neque sancti habere.)

Genitivus permultis *adjectivis* minus usitate subjicitur, ut fit apud Augustei ævi poetas et insequentis scriptores. Exemplis ab Halmio in indice collectis hæc fere addenda videntur. 1, 15, 4 furens animi, 2, 45, 5 dubius animi. 2, 13, 5 anceps consilii. 1, 17, 6 cujus si quis erit curiosus. 1, 12. 1 rerum potentem; cfr 2, 7, 1. (Liv. 9, 14, 5). — Contra præp. in insolenter ponitur. M 1, 7 in quibus ipse sibi conscius fuit; cfr Min. Fel. 1, 3 in amoribus conscius.

Verba nonnulla insolenter genitivum habent: D 1, 9, 2 edacitatis nimiæ nos notatos. D 1, 4, 6 nos edacitatis fatiges. (Cfr Apul. Met. 2, 171. 4, 246). 1, 25, 3 virtutumque Domini... recordabatur. (Hic illic apud Cic.).

Genitivus causæ a Græcis desumptus legitur. M 11, 4 oravit, ut quis esset vel cujus meriti esset sepultus ostenderet. (Cfr Apul. Met. 7, 26 seræ vindictæ gratulabar).

Multi denique sunt loci, ubi duo genitivi ex uno nomine pendent vel alter altero subjicitur. 1, 3, 2 diversi

---

[1]) Dræger l. l. p. 452.

[2]) Dræger l. l. p. 462. Kühner l. l. p. 334.

generis bestiarum (paria). 1, 19, 9 interiorumque ejus ædificatio. 2, 10, 1 adolescentes spectatæ fidei corporis. 2, 25, 1 qui partium Alexandri fuerat. 2, 32, 5 præclaræ ejus temporis martyrum passiones. D 1, 22, 3 istiusmodi falsæ justitiæ colore. D 2, 5, 8 istiusmodi præsentis angeli . . . adloquio. Triplex adeo genitivus occurrit. 1, 34, 7 nuptiarum ejus istiusmodi conditionem. Jam apud præstantiores sol. or. script. similia exstare notum est [1]).

Dativus multis verbis additur et simplicibus et præpositione compositis, ubi principes sol. or. scriptores præpositionem cum casu prætulerunt; sed jam inde ab Augusti ætate increbruit dativi usus. Prioris generis exempla hæc afferantur. D 2, 10, 5 conjugia virginitati *æquanda.* E 2, 9 Hebræisque pueris *æquandus;* cfr 2, 13, 2, D 1, 22, 2. (Lucr. Verg. Liv. post.) 1, 25, 1 cum eis ... Madianitæ *dominarentur.* (Apul. Claudian.) 2, 12, 7 *juncta* regi. M 7, 1 se ei quidam catechumenus *junxit;* cfr D 2, 1, 1. D 2, 5, 4. (Cic. Div. 2, 43, 91. Nat. Deor. 2, 45, 117. Liv. poet. post.). 2, 22, 9 Dominus cruci *fixus est.* 1, 6, 1 Abrahæ Deus *locutus est;* cfr 1, 7, 2. 1, 18, 1. D 2, 14, 1. (Stat. Pallad.). 1, 11, 2 Thamar socero *mixta* est; cfr 1, 2, 7. 1, 18, 7. 2, 35, 5. 2, 37, 5. D 2, 11, 2. D 3, 13, 5. (Liv. Vell. poet.). Cfr 2, 14, 8 ut ... hæc quoque *cum* reliquis *miscerentur.* 2, 1, 3 ne ... gentilium cibis *participaret;* cfr 2, 12, 7. (Plaut.). 2, 43, 1 *uniri* hæreticorum communioni. (Tert. Dig.). M 10, 6 majores orationi *vacabant.* (Poster; cfr Mad. Gram. p. 244 ann. 2).

Sæpius multo *verbis compositis* dativus subjungitur pro præpositionibus, quarum usus apud veteres scriptores frequentior est. 1, 4, 6 turrim facere aggressi, quæ cælo accederet. 1, 14, 2 rubo propius *accessit.* (Poetas solos sic locutos esse Kühner (p. 240) docet.). 1, 36, 4 cui opinioni nequaquam *accedimus,* (Vell. Quint. Tac. Plin. Suet. In locutionibus, ubi accedere i. s. q. assentiri, optimos sol. or.

[1]) Cfr Dræger p. 472. Kühner p. 305. Kühnast p. 70.

script. particulam ad usurpare grammatici commonent [1]). 1, 44, 1 vineam ... *adhærentem* sibi; cfr D 2, 8, 3. (Liv. poet.). Contra: M 10, 3 *adhærentem ad* ecclesiam. 1, 23, 3 vicinæ quoque urbes imperio *adjectæ;* 1, 26, 5 vicina quæque Romano imperio *adjungere.* (Nonnumquam Cic. sic dixit; cfr Dræger l. l, p. 422). 1, 38, 1 uxorem ... numero uxorum *aggregavit.* (Cæs. Liv. post.). 1, 20. 4 primoribus labiis *admotis* carnibus. 2, 34, 4 mortuum crucibus *admoverent.* (Interdum Cic. et Liv.). 2, 8, 7 quæ idolo *apponi* jusserat; cfr 1, 7, 7. (Liv. post.). 1, 11, 4 nec *adquiescentem* sibi i. e. morem gerentem. Cfr 2, 1, 5 (Dig.). Cfr 2, 15, 4 neque ad deditionem adquiescentibus animis. 2, 13, 7 Esther genibus regis *advolvitur.* (Liv. Prop. post.). 2, 42, 5 concilioque *ascitus est.* Cfr D 2, 5, 10. 1, 50, 5 rex Assyrius portis *assultans* (Tac. et Sil. solos dativum adhibuisse affirmat Dræger l. l. p. 413). D 3, 11, 3 *communicantes* Ithacio. (Recentissimæ ætatis. Kühner p. 243). D 2, 5, 2 hunc ... apostolis *conparat* et prophetis. (Raro Cic.). 1, 25, 5 Madianitis etiam gens Amalech se *conjunxerat;* cfr 1, 33, 2. (Raro Cic.). 2, 12, 2 visum est huic Artaxersi ... Ester historiam connectere. (Cic. Pis. 5, 11). 2, 14, 1 huic rerum ordini recte Judith actus *conserui.* E 2, 8 *consertus* apostolis ac prophetis. 1, 25, 5 castra castris hostium *contulit.* (Cic. Div. 2, 55, 114. Cæs. b. c. 3, 79. Auct. b. afr. 9. Liv. 8, 23, 9. 23, 28 post.). 1, 15, 4 tot hominum milia regno suo et potestati *decedere.* D 3, 12, 4 mox percussores his, pro quibus M. rogaverat, *diriguntur.* M 7, 6 *deputandumque* obscuris locis (Plura exempla quære apud Halmium). 1, 3, 1 sed Noë destinatæ *exemit* sententiæ. 2, 29, 5 humanis rebus *eximitur.* (Plaut. Hor. Liv. post.). 1, 5, 6 reliqua his, quibus *erepta* erant, reddidit. D 1, 22, 2 se sæculo *eripere.* 1, 14, 2 (progeniem) *ereptam* malis cupiat. (Cic. Div. 2, 37, 79. Poet. Sall. Cat. 46, 2. post.). 1, 16, 3 lignum aquis *intulit.* 1, 20, 4 copiam coturnicum castris *intulit;* cfr 2, 8, 3. 2, 30, 5. E 2, 9.

[1]) Cfr Kühner l. l. p. 240. Dræger l. l. p. 408.

(Nonnumquam Cic. Poet. Liv. post.). 2, 44, 7 subjecit sententiam, *cui inerat* occultus dolus. 2, 50, 3 viros, quibus aut studium *inerat* lectionis aut . . (Cic. Off. 1, 42, 151 concinnitatis causa dativum huic verbo addidit pro in præp. Liv. et Sall. semper dativum habere docet Kühnast l. l. p, 137). 1, 19, 3 quæ ego... *inserenda* huic tam præciso operi non putavi. M 19, 1 epistolam pectori *inseruit.* 20, 1 ut minora tanti *inseram.* D 2, 7, 2 qui libenter feminis *inseruntur.* (Cæs. b. G. 3, 14. Liv. post.). Cfr 1, 10, 4 in hoc tam præciso opere *inserendam* non putavi. 1, 36, 2 gladio suo *incubuit.* (Cfr Cornif. 1, 11, 88 gladio incubuit). M 7, 3 cum aliquamdiu orationi *incubuisset.* D 3. 8, 3 qui cervici tuæ *incumbit.* (Cic. de Or. 2 § 324 huic verbo per translationem usurpato dativum subjunxit pro præp. ad vel in. Inde a Vergilii ætate apud poet. et post. dativus usitatissimus est. Cfr Dræger l. l. p. 415). 1, 27, 3 ardentes lampades eorum *illigavit* caudis. M 18, 5 (fimbriæ) digitis *illigatæ*, (Liv. hanc structuram primum adhibuisse opinatur Kühnast l. l. p. 135). 1, 27, 3 eas agris hostium *inmisit.* M 14, 1 cum fano ignem *inmisisset.* (Poet. Cæs. b. C. 2, 10, 6). 2, 26, 3 capitique diadema *imposuit.* 1, 31, 3 (arca) *imposita* vehiculo. 2. 19, 7 præsidium arci *imposuit.* 2, 30, 2 diademate capite imposito. (Poet, Cic. interdum). M 23, 11 cum erat Martini oculis *ingerenda* (fantasia diaboli) (Liv. primum sic locutum esse credit Kühnast l. l. p. 135). M 18, 5 (fimbriæ) collo *inditæ.* 2, 28, 2 *inditumque* imperatori flammeum. (Poet. post.). E 3, 8 eum, cui *innatabat,* gurgitem. (Ov. arg. æt. script.: cfr Dræger 416). D 2, 9, 4 seque agmini ... *inmiscuit.* (Poet. Liv, post.). D 1, 2, 6 cilicium, cui *insederat.* (Poet. post: cfr Dræger p. 417). 1, 17, 5 ubi Deus monti *institit* (Poet. Liv.). D 1, 23, 4 eum urbi *invexit* (Liv; cfr Kühner l. l. p. 242). D 3, 3, 6 cui quidem tempori hic *interfuit.* (Vell. 2, 114, 2 quisquis illis temporibus interfuit). Cfr D 2, 11, 3 in bello... *interfuit.* E 1, 12 (pessulo) quem ostio *obdiderat.* (Ter. Eun. 3, 5, 55 pessulum ostio *obd.*). D 1, 20 4 sancto viro vanitas cœpit *obrepere.* (Cic. Cat. m. 2, 4.

Cic. fil. ap. Cic. fam. 16, 21. Post; cfr Kühner l. l. p. 242. Dræger l. l. p. 418). 1, 15, 3 egressis columna nubis... *præferebatur*. (Cic. Acc. 5, 9 fasces prætoribus). D 3, 13, 3 se noxiæ communioni fuisse *permixtum*. (Poet. post.). Cfr 2, 14, 7 *permisceri* cum aliis. M 3, 5 militiæ *renuntiavit*. (Sen. Quint. Plin. Suet. dativum rei huic verbo subjunxerunt. Plerumque hac notione subjecta dativus personæ sequi solet et accusativus rei). 1, 9, 2 septennii servitio *subditur*. (Poet. Liv; cfr Kühnast l. l. p. 136). 1, 1. 2 ut pæne nihil gestis *subduxerim*. (Poet. Liv. Kühnast p. 136). 2, 51, 1 *subtraxit* se cognitioni. (Col. 1, 9, 6 se labori). 1, 23, 4 XX et novem regna imperio *subjecta*. Cfr 1, 31, 4. H 1, 19, 3. (Cic. Liv.: cfr Kühner l. l. 245. Kühnast l. l. p. 136). 1, 7, 2 cum aræ puerum *superposuisset*. E 2, 4 *superpositamque* capiti meo manum. (Apud Liv. primum dativum huic verbo subjectum esse Kühnast (p. 137) docet). 1, 9, 4 ne uxores filiabus suis *superduceret*. (Quint. Capit. Donat.). M 8, 2 *superstratus* corpori. 1, 23, 3 inopinantibus *supervenit*. (Verg. Liv. post; cfr Kühnast p. 137). M 12, 2 lintea corpori *superjecta*. (Hor. Val. Max.). D 3, 9, 1 (columnam) cui idolum *superstabat*. (Liv primus dativum posuit; cfr Kühnast l. l. p. 137).

Dativus finalis, qui ponitur ad consilium, ex quo agatur aut eventum significandum, apud Severum longius evagatur. 1, 2, 4 quod quidem futuro mysterio fuisse præmissum æstimatur. 1, 7. 2 victimæ aries præsto fuit. 1, 6, 1 libertati restituendos. M 7, 6 vitæ restitutum. 1, 18, 3 morti dabitur; cfr 2, 1, 6. 1, 24, 2 internecioni d.; cfr 2, 13, 3. 2, 30, 4. 1, 25, 7 neci d. 1, 31, 2 leto d., cfr 1, 51, 2. 1, 53, 4 captivitati et internecioni d.; cfr 2, 11, 6. 2, 39, 7 d. exilio. 1, 13, 8 sanitati redditus. 1, 54, 4 carceris custodiæ reddi. 2, 25, 1 Judæos legibus suis reddit. 2, 36, 6 episcopatui redditur. 2, 39, 8 urbi redditus. M 5, 6 Martinum viæ reddidit. M 7, 5 redditus vitæ. M 16, 4 redd. sanitati. 2, 30, 8 captivitatibus traderentur. 2, 41, 1 si rem effectui tradidisset. 1, 22, 4 (oppidum) neque expugnationi neque obsidioni facile. 1, 38, 1 mulierem

matrimonio vacuam. 1, 34, 7 virginem matrimonio illius cessuram. 2, 10, 3 templo Dei miserat. 2, 12, 5 cum puella regis conjugio quærebatur. 2, 21, 7 negotiatores prædæ fuerunt. 2, 44, 2 paratum se exilio... profiteri. 2, 51, 4 damnati gladio. (Verg. Aen. 4, 699 caput damnaverat Orco Boet. morti proscriptionique damn. Cfr Kühner p. 340). D 2, 11, 5 errori suo se non fuisse permissum. D 1, 11, 6 cum ille hoc abbatis adventui præstitutum fateretur. 1, 29, 5 huic bello J. dux fuit. 2, 41, 5 Arriani autem ædem ... orationis loco capiunt. 2, 18, 4 patefacta semel ambitioni via.

Dativi commodi et incommodi complura Severus exhibet exempla. M 4, 3 hactenus... militavi tibi. 5, 5 se magis illi dolere. D 1, 14, 6 cui sapit omne, quod brutum est, cui mite est omne, quod sævit. D 2, 5, 9 Martino invitus adsurgit. — D 3, 7, 5 et cum futuris trepidaret. D 3, 11, 11 subsidia imperio paravisse. (Insolenter dativo res notatur.)

Ad hunc dativum plurimi illi loci revocandi sunt, ubi dativus genitivi vicibus fungi videtur [1]). 1, 6, 2 tunc ei atque uxori ... nomen inmutatum; cfr 1, 9, 7. 1, 23. 2 sed regibus... deditio eorum iras conciverat. 1, 10, 7 (Ruben) cui a tanto facinore abhorrebat animus. 2, 29, 3 uni cervix gladio desecta. 2, 48, 1 sed iter eis fuit. M 15, 3 ferrum ei de manibus excussum. M 17, 6 digitos ei Martinus in os intulit. M 19, 3 oculum ei M. penicillo tetigit. M 25, 3 pedes nobis ipse abluit. D 2, 6, 3 totus illi cum eo sermo.

Dativum pro *ab* præpositione ad agentem personam significandam sæpissime participio perfecti et temporibus inde formatis subjunxit Severus. 1, 8, 5 quæ adquisita sibi forent. 1, 31, 1 quod ubi regibus compertum est; cfr 1, 29, 5. 1, 33, 8. 1, 53, 4. 2, 2, 3. 2, 13, 4 et 9. 2, 21, 3 et sæpe alibi. 2, 15, 6 habitatas majoribus terras. 2, 33, 7 calcati Deo pulveris. Nonnumquam simplicibus, quæ vocantur, tem-

[1]) Cfr Kühnast l. l. p. 120. Dræger l. l. p. 440 seq.

poribus subjungitur dativus. 1, 20, 5 exploratoribus in eam (terram) missis renuntiatur. Cfr 2, 14, 8. D 2, 8, 4 tota nobis istorum memoria relinquatur. Hoc loco pro dativo commodi potest haberi, ut semper fere apud Ciceronem in hujusmodi locutionibus [1]).

Dativi adjectivis subjuncti exempla nonnulla afferramus. 2, 22, 1 continua templo. D 1, 10, 1 contigua Nilo; cfr D 1, 15, 3. D 1, 17, 1. D 3, 10, 3. (Ov. Plin.). E 3, 5 (te) præstabo his, quæ mihi sunt comperta, participem. (Cfr quæ de verbo participare supra annotavimus). D 1, 27, 1 licet impar sim tanto oneri. (Hor. Tac. Suet. Dig.). Contra 2, 15, 4 impar ad resistendum. E 1, 13 innoxio sibi orbe flammarum. In adjectivorum, quæ sunt *similis* et *dissimilis*, structura ita ab optimis sol. or. script. discrepat Severus, ut etiam in hominum similitudine vel disimilitudine notanda semper fere dativum iis adjungat. 2, 43, 2 similem patri filium; cfr 2, 44, 7. E 1, 5. D 1, 20, 7. D 3, 16, 3. Genitivus legitur 1, 22, 1 sui simillimum. 1, 50, 1 paterni dissimilis ingenii.

Substantivum dativum adsciscit. M præf. 2 ea tibi fiducia libellum edidi. Rarissimus est hic usus apud Latinos [2]).

Accusativum verbis simplicibus junctisque nonnullis subjunxit Severus contra optimæ orationis solitum usum. 1, 40, 3 populum templumque *benedixit;* cfr 1, 4, 1. 1, 5, 6. 1, 8, 2 et sæpius. (Apul. Tert. Lact.). 1, 40, 2 *coeptum* templi opus. 2, 48, 3 iter *coeptum.* Cfr M 14, 5. D 2, 8, 5 (Cic. Nat. Deor. 1, 7, 17. Liv. 42, 47, 3 poet. post.). D 2, 6, 4 non ille opes regni, non imperii dignitatem, non diadema, non purpuram *cogitabat.* (Tac. Dial. 2. Plin.). D 1, 26, 6 facta ab illo *erubescunt.* (Augusti ævi poet. post. Cfr Kühner l. l. p. 196). D 1, 16, 3 quas ille solitudines dicebatur *habitare.* (Poet. post.). 1, 36, 1 ea tempestate Samuel diem *functus* est; cfr 1, 46, 4. 1, 47, 1. 1, 49, 5 et

[1]) Madvig ad Cic. Fin. 1, 4, 11.
[2]) Dræger 1 p. 444.

sæpius, (Plaut. Ter. Lucr. Just. Tac.). D 1, 5, 6 aliquantum ei vestimentum *indulsimus*. D 2, 3, 9 ut *indulgeret* sceleris veniam; cfr D 2, 3, 10. D 3, 13, 1. (Liv. 40, 15, 16. arg. æt. scr.). D 1, 27, 6 quod te *manet* explica. (Poet. Liv. post). M 2, 2 divinam servitutem sacra illustris pueri *spiravit* infantia. (Poet. post.). 1, 46, 4 victoriam *potitus*, (Ter. Just. Tac.). E. 2, 7 *triumphatum* sæculum. (Poet. Plin. Tac.).

Accusativi *verbis copulatis* subjuncti exempla minus usitata hæc sunt. 2, 26, 5 victor omnium gentium, quas *adierat*. (Verg. Aen. 2, 379. Sil.). 1, 15, 2 Abraham terram Chananæorum *accesserat*. (Nep. 23, 8, 1. Sall. alii). 1, 3, 5 arcam egressus est. (Rerum scriptores). D 1, 3, 5 ventorum casus *evadere*; cfr 2, 6, 4. (Liv. poet. post.). 1, 23, 5 tanta hoc tempore animos eorum habendi cupido *incessit*; cfr 1, 38, 6. (Liv. Tac. Apud classicos, qui vocantur, script. dativus sequi solet. Kühner l. l. p. 199). E 3, 10 *invadent* gregem tuum. (Apud Sall. semper solus acc. sequitur, sæpissime apud Livium. Cic. in seq. acc. semper ponit). D 2, 9, 6 venantium agmen *incurrimus*. (Post.) M 23, 6 terram *insultantium*. 2, 23, 1 *præeuntibus* aciem elephantis. (Tac.), 1, 15, 6 ima montium *successere*. (Cic. p. domo 44. Liv. Tac. Dræger l. l. p. 381).

Locutioni, quæ est auctorem accedere, accusativus subjungitur, 1, 1, 4 ea, quæ digessimus, non ita legentibus auctor accesserim, ut (Liv. 23, 16, 15. quod quidam auctores sunt).

Verbis notione reflexiva vel passiva acc. additur M 3, 2 reliqua induitur. E 1, 12 vestem, quam indutus erat. (Poet. Liv. post.). E 1, 7 ut ex his humana mens erudiretur naufragiorum adque serpentium casus. (Arg. æt. script. Kühner p. 221). Cfr D 2, 3, 9 pulvere caput adque ora conspersi.

Duplicem accusativum satis insolenter nonnulla verba interdum habent. 1, 26, 6 duos tantum menses vitæ spatium petit. 1, 27, 2 ut puerum ederet libertatis vindicem et hostium ultorem.

Accusativi, qui dicitur *adverbialis* multa apud Severum exstant exempla. D 1, 10, 3 nihil perterriti; cfr D 1, 12, 7. D 1, 18, 3 et 4 et sæpe alias. 1, 28, 2 multa cunctari. 1, 9, 4 multum obtestatus; et sic sæpissime; Vide Halm.

Accusativus localis, qui vocatur, nonnihil offensionis habet. 1, 5, 3 Aegyptum concessit. (Cic. Nat. Deor. 3, 22 Aegyptum profugisse. Tac. ann. 2, 59 Aegyptum proficiscitur. Dræger Tac. § 38). D 1, 9, 6 regressus ad Alexandriam.

De usu *ablativo loci* annotandum est, Severum, præeuntibus poetis, Livio, sæpenumero simplicem ablativum posuisse, ubi quæritur, quo loco aliquid sit vel fiat aut unde aliquid deducatur. 1, 48, 4 litoribus ejectus. 2, 3,6 urbibus atque provinciis permixtas barbaras nationes. 1, 41, 5 templo ... sacrificare. D 1, 19, 2 hanc (virgam) solo figit. D 2, 6, 5 solo fixa. D 2, 3, 6 solo fixa. D 2, 3, 9 adfixa locis, quibus steterant. 1, 3, 2 qua (arca) ille clausus. (Poet. Liv. post). Attributis substantivis appositis: 1, 15, 5 patentibus late campis acies visebantur. (Cfr Liv. 29, 32, 6). 2, 5, 7 annotationem hanc interpolato ... libello ... reperirem. E 1, 10 nuda humo cubare. E 2, 10 si præcisis rupibus abruptisque montibus agere felicem ... maluisset. D 1, 14, 1 parvo tugurio habitantem. D 2, 1, 3 quendam nuper ... vidi sublimi solio et quasi regio tribunali celsa sede residentem. Cfr D 2, 9, 6.

Alterius generis exempla hæc annotavi: M 26, 5 nec eos ... loco umquam *amoverit*. (Poet. Liv. 6, 33, 5 ni ignes procul delubris amovisset. Cfr Dræger l. l. p. 506). 1, 36, 2 Saul equo *delapsus*. 1, 43, 8 ignis coelo *delapsus*. (Cic. semel tantum sic dixisse opinatur Kühnast p. 167. Liv. post). 1, 47, 4 loco *decedere*. (Cic. p. Lig. 1, 2 decedens provincia; Cæsar semper de præp., Liv. sæpissime abl. huic verbo subjunxit. Cfr Dræger p. 507). 2, 51, 5 episcopatu *detrusus*. (Verg. Tac.). M 18, 4 fimbriæ vestimento ejus cilicioque *detractæ* (Liv. 22, 47, 3). E 1, 12 Martinus somno *excitus*. (Liv. 27, 50 et 51 et sæpius, poet. Dræger p. 513. Kühner p. 267). 1, 39, 2 somno *excitatus*. (Liv.) 1, 19, 10

ut ipsum Moysen aditu *excluderet*. (Cic. Liv.; plerumque tamen ab præp. apud eos sequi solet. Dræger p. 513). D 3, 4, 3 lecto suo . . *excutitur*. (Poet. Curt. alii rec. æt. Dræger p. 513). 1, 11, 6 carcere *exemptus*; cfr 1, 54, 5, (Livius primus hanc structuram adhibuit. Plin. Dræger p. 514). 2, 15, 7 malis *emersisse*. (Poet. Tacitum primum simpl. abl. posuisse docet Dræger l. l. p. 511. At jam Cic. scripsit Att. 8, 1, 1 incommoda valetudo, qua jam emerseram. Cfr Kühner p. 274). 2, 34, 4 feretro corpus *eripitur*. D 1, 11, 5 ac si focis esset *ereptus* (Poet. Cic. duobus locis sic locutus est. Dræger p. 512. Kühner p. 274). M 9, 1 *erui* monasterio suo. (Poet. Tac. Dr. p. 512). 1, 43, 7 *missus* coelo ignis. (Hanc structuram nisi apud Florum nusquam exstare Dr. p. 503 contendit; apud poetas solos Kühner p. 269). 2, 5, 5 voce coelo *emissa*. (Liv. 5, 51 vox coelo emissa. Cæs.) 1, 21, 6 Aegypto *profectus*; cfr 2, 46, 2. (Tac. Curt.). 2, 33, 2 abnuentes militia *rejiciebat*. (Verg. Aen. 10, 473). 2, 37, 6 ut Athanasium ecclesia *submoverent*. (Liv. primum huic verbo simpl. abl. subj. Dræg. p. 518 docet. Suet.). *Adjectivis* nonnullis subjicitur ablativus 2, 18, 6 profugus patria. (Tac.). 2, 30, 8 extorres patria. (Sall. Liv. Cfr Kühner p. 268). Hoc loco afferatur denique 2, 38, 3 Heraclia Theodorus . . Menofantus Epheso, Georgius Laodicia. (Insolens hoc genus loquendi apud post. omnino in usu non fuisse Dræg. p. 498 suspicatur).

Ablativi temporis exempla minus usitata hæc annotavi: 2, 15, 10 quinto demum die deditionis tempus constituit (i. e. in quintum d. diem); cfr 1, 22, 2. 1, 17, 7 sabbato nullum opus facies; cfr 1, 18, 9. M. 2, 5 in ætate puerili. Ad spatium temporis significandum totidem fere locis ablativum atque accusativum adhibuit Severus. Hic usus, cujus jam apud Cic. exstant exempla, recentiore ætate increbruit [1]).

Ablativus instrumenti de personis usurpatus videtur. 2, 23, 6 socio destitutus ad regem redit. 2, 31, 5 id Domino

---

[1]) Cfr Dræger l. l. p. 534.

ordinante dispositum. D 2, 6, 2 diadema non legitime tumultuante milite impositum. Optimæ latinitatis script. raro sic locutos esse constat [1]).

Ablativus causæ sæpenumero apud Severum occurrit, et frequenter quidem, sicut apud principes script., causam in animo sitam, ex qua prodit actio, notare reperitur. Verbis intransitivis vel passivis subjunctus: 1, 26, 5 dolore conscissis vestibus. D 1, 14, 5 dejectis in terram profundo pudore luminibus. D 3, 1, 6 curiositate potius quam religione venerunt. D 3, 11, 10 avaritia repugnabat. 2, 7, 1 facile id Dario persuasum stultitia regum omnium. Verbis transitivis additur. 1, 37, 2 dolore ... jugulari eum præcepit. 1, 48, 3 ministerium detrectans non contumacia sed præscientia. 2, 17, 9 affectantes summum sacerdotium libidine, avaritia et dominandi cupidine. M 4, 4 metu pugnæ detrectare militiam. D 3, 12, 3 odio potius quam causa fecisse discidium. Causa oblata extrinsecus non rarius simplici ablativo exprimitur. 1, 31, 4 cujus rei miraculo reguli arcam secuti. 1, 17, 4 hujus consilio ordines populi distribuit. 1, 24, 4 instinctu Dei regem interemit. 1, 8, 1 assiduis mariti precibus geminos edidit. 2, 41, 3 inopia proprii publico usui sunt. 2. 25, 3 contemplatione cladis ... vectigalia ... remittit. D 2, 12, 4 vincla propositi ne Martini quidem contemplatione laxavit ... 1, 33, 5 alienum a se Deum delicto regis. 1, 46, 3 Dei misericordia depulsis hostibus. M præf. 5 ut soloecismis non erubescerem. D 3, 8, 3 cum erubesceret minister auctore. D 3, 11, 11 regni necessitate excusabitur; cfr eo = ea re. 1, 13, 6. 2, 14, 3. 2, 40, 5. Hoc abl. causæ genus apud aureæ ætatis scriptores nisi in quibusdam formulis satis raro usurpari grammatici docent [2]). Apud infimi ævi script. ablativi causæ usum infrequentem esse affirmat Dræger l. l. p. 544.

Ablativus modi interdum solus ponitur pro cum præp. sequ. abl. 2, 4, 1 principem ... arbitrio victoris datum.

---

[1]) Dræger l. l. p. 547. Kühner p. 279.

[2]) Cfr Dræger l. l. p. 544. Kühnast l. l. p. 163 seq.

2, 8, 8 simulacrum . . . arbitrio ejus dirutum. 2, 15, 7 iratum aut placatum Deum vicissitudine expertos. M 8, 1 clamore et luctu turbæ plangentis excipitur. Hoc loco commemorandum videtur, Severum sæpissime *sponte* absolute, ut ajunt, non addito pronomine possessivo, usum esse 1, 18, 2 sponte permanenti. 2, 37, 1 ut sponte concederent. Cfr 2, 47, 6. 2, 51, 6. M 2, 2. 20, 3. E 2, 9 et 10. (Poet. post.).

Ablativus qualitatis admodum insolenter de tempore usurpatus videtur. 1, 53, 5 sed Joachim tribus mensibus tempus imperii habuit. (Fortasse ut duplex genitivus evitaretur).

Ablativus comparationis insolentius legitur. E 2, 5 solito tristior (Ov. Liv. post.; cfr Kühner l. l. p. 976). 2, 3, 5 omnibus ante regnis validissimum.

Ablativus copiæ et inopiæ sequitur adjectiva, quæ sunt plenus (perraro apud Cic. et Cæs., sæpius apud Liv. et poster. Dræger l. l. p. 559), dives (Poet., Kühner l. l. p. 284), cumulatus, viduus (Col. Apul.). Cfr 1, 20, 1 plena omnia sacerdotalibus institutis; cfr D 2, 3, 2 (Sæpius genitivus legitur: E 1, 8. D 1, 2, 5. D 3, 15, 2). 1, 15, 2 dives et suis copiis et . . . spoliis cumulatior. 2, 16, 1 viro vidua.

Ad ultimum annotandum est, verbum degustandi ut verbum, quod est vesci, constructum esse. 1, 2, 2 cum interdicta sibi arbore degustassent. (Cfr Firmic. 7, 7 quis membris ejus epulatus est).

De usu Temporum.

Jam primum animadvertendum est, Severum in oratione vivida atque incitata frequentissime »*præsenti historico*» usum esse. Etiam in *enuntiationibus secundariis* interdum occurrit ejusmodi præsens. 1, 33, 4 cum per septem dies Samuelem operitur . . . 2, 25, 2 ubi se inparem cernit, pacem simulat. Hic usus satis rarus esse apud sol. or. scriptores videtur [1]), si sententias ex dum particula pendentes exceperis. Non

[1]) Cfr. Kühner l. l. p. 87 seq. Kühnast l. l. p. 219.

infrequenter in eodem orationis tenore variant inter se et permutantur tempora ita, ut *præsens* historicum *imperfecto* excipiatur. 2, 6, 3 subito rex conspicatur digitos scribentes, cernebanturque ... litteræ. Sæpius scriptor a *præsenti hist.* *ad perfectum* et contra a *perfecto in præsens* abiit. 2, 8, 2 dat potestatem ... redeundi, sacra etiam vasa ... reddidit. 2, 21, 5 copias ... partitur ... committit ... ipse profectus est. 2, 25, 2 cernit ... simulat ... interfecit. 2, 30, 2 sumit imperium et ... consalutatus (est). Titum ... Cæsarem facit ... negotium datum. D 3, 2, 6. benedicit adque ita ... infudit. 2, 23, 2 bellum intulit, victus pacem petit. 2, 25, 6. Hyrcanum libens excepit ductuque ejus Iudæos aggreditur. Etiam antiquiores script. interdum ita locuti sunt [1]).

Præsens pro perfecto positum videtur. D 2, 1, 4 (sellulæ) quas nos rustici Galli tripeccias, vos scolastici aut certe tu, qui de Græcia venis, tripodas nuncupatis. Similia etiam apud veteres occurrunt [2]).

Præsens, ubi legitimus Latinorum usus *futurum* poscit, sæpius positum reperitur, quod genus loquendi e sermone quotidiano videtur fluxisse [3]). D 1, 12, 5 mementote, quia non sine foenore istum apud vos depono sermonem: libens præsto, quod poscitis. D 2, 9, 5 cum libuerit, in promptu habes. D 2, 11, 7 habet et illa gloriam suam, si pudicitiam viro absente servaverit. Negligentia quadam scriptoris præsens interdum futurum sequitur. E. 3, 16 nihil in me ... reperies: Abrahæ me sinus recipit. Pro *futuro exacto* legitur præsens. M 27, 4 nam si irascitur, de se dictum fatebitur. E 3, 5. si das fidem — tuæ satisfaciam voluntati. E 3, 4 si aliud vobis exemplum relinquo, peccavi. D 2, 7, 4 felices erunt, si a disciplina exempli istius non recedant. Nonnulla etiam apud classicos, qui dicuntur, script. hujus usus exstant exempla [4]).

---

[1]) Cfr Dræger l. l. p. 230.
[2]) Kühner l. l. p. 89 seq.
[3]) Holze l. l. p. 67—69.
[4]) Dræger l. l. p. 287. Kühner l. l. p. 91 et 109.

Præsens de conatu, ut ajunt, dictum reperitur. D 1, 4, 6 facis inhumane, qui nos Gallos homines cogis exemplo angelorum vivere.

Imperfectum indic., ubi *plusquamperfectum* exspectares, sæpius usurpatum reperitur. 1, 13, 2 sed defuncto rege, qui eos ob merita Joseph benigne fovebat. D 1, 7, 5 me melius, quam opinabar, excepit. (Plura hujus usus exempla infra proferemus, quum de enuntiationibus tempor. et conditionalibus fusius disputabimus).

Imperfectum conj. loco imperf. *conjugationis*, quæ vocatur, *periphrasticæ* positum videtur. 1, 43, 4 illa causari, non esse . . . nisi pusillum (olei), quo assumpto . . . mortem exspectaret. 2, 30, 6 nonnullis videbatur, ædem sacratam non oportere deleri, quæ . . . diruta perennem crudelitatis notam præberet. M 13, 5 ut non esset dubium, quam in partem . . . corrueret. 2, 51, 1 ceterum Ithacius videns, quam invidiosum sibi foret, si accusator . . . astitisset.

Imperfectum de conatu, ut ajunt, dictum invenitur. M præf. 1 quia judicia humana vitabam . . . 2, 20, 4 cum . . . instituta majorum violare suppliciis cogerentur, mori maluerunt. M 15, 1 dum templum ... everteret. Etiam apud antiquiores imprimis apud Livium hoc genus dicendi occurrit [1]).

Perfectum, ubi *plusquamperf.* malueris, ut nonnumquam apud Cæs. Sall. Liv. Tac. [2]), sic apud Severum legitur. E 3, 17 testatique nobis sunt, qui ibidem fuerunt, vidisse se . . . D 3, 3, 5 mirum et illud, quod huic . . . memini contigisse. vas vitreum ... deposuit et q. s. Pro *futuro exacto* usurpatum videtur. E 3, 14 si aliud vobis exemplum relinquo, peccavi. (De hoc perfecti usu apud veteres script. vide Kühner p. 97. Dræger p. 257).

Perfectum more poet. Sall. post. [3]) nonnumquam adhibuit noster ad rem sæpe factam et fieri solitam significandam.

---

[1]) Cfr Dræger l. l. p. 278 seq. Kühner l. l. p. 91 seq. Kühnast l. l. p.

[2]) Dræger l. l. p. 258. Kühner l. l. p. 99 seq.

[3]) Kühner l. l. p. 101. Dræger l. l. p. 253 seq.

E 2, 11 adversus omnes poenas adque supplicia, quibus plerumque cessit infirmitas humana . . . ita inmobilis.

Plusquamperfectum pro *perfecto* usurpatum sæpissime occurrit. 1, 3, 1 decreverat. 1, 8, 2 incesserat. 1, 10, 5 resederant. 1, 11, 4 converterat. 1, 11, 8 consuluerat. 1, 20, 6 incesserat. 1, 23, 2 conciverat. 1, 28, 4 acceperat. 1, 30, 4 nequiverat. 1, 33, 2 desciverat. 1, 33, 3 constituerat. 1, 33, 5 pervaserat, petiverant. 1, 33, 6 perculerat. 1, 33, 8 degustaverat. 1, 34, 6 accenderat. 1, 34, 7 fecerat. 1, 35, 6 se conjecerat, et 7 successerat. 1, 37, 2 fuerat; et 6 permiserat. 1, 41, 4 resederant. 1, 41, 5 invaluerat. 1, 43, 9 crediderat. 1, 54, 5 invaluerat. 2, 18, 4 obtinuerat et 6 acceperat. 2, 19, 4 dederat. 2, 20, 2 effecerat. 2, 24, 2 fecerat. 2, 28, 4 ediderat. 2, 33, 2 præceperat. 2, 34, 3 turbaverat. 2, 40, 1 injecerat. 2, 41, 2 præceperat. 2, 42, 4 converterat. 2, 44, 1 cesserat. 2, 45, 2 concesserant. 2, 51, 8 exarserat. M 7, 4 compleverat. 10, 4 clauserat. 26, 5 adsumpserat. E 2, 1 subierat. D 1, 9, 4 institueram. D 1, 11, 7 incesserat. 1, 15, 4 intellexerat. 1, 17, 6 ut dudum dixeram. 1, 17, 8 ut jam dixeram. 1, 19, 1 adveneras. 1, 22, 2 æquaverat. 2, 3, 1 processerat. 2, 5, 4 qui interfuerant. 2, 10, 2 conspexerat. 2, 11, 1 abjecerat . . . erexerat. Et nonnullis quidem locis hic usus per verbi notionem excusatur, velut: M 20, 4 accubuerat. 1, 19, 5 circumsteterat. D 3, 9, 4 constiteramus et similia. Apud ceteros latinitatis scriptores hujus generis exempla satis raro occurrunt [1]).

Insolentiora sunt exempla, ubi pro *imperfecto plusquamperfectum* usurpatum videtur. 2, 4, 2 at hi, qui extra noxiam fuerant ... arma capiunt. 2, 19, 1 regum, qui post Alexandrum in Syria fuerant, nomina . . . enumerabimus. M 9, 4 inter episcopos, qui adfuerant . . . Defens. dicitur restitisse. 11, 5 Martinus jussit ex eo loco altare, quod ibi fuerat, submoveri. D 1, 2, 5 ut dudum spoponderas. M 7, 6 idem referre erat solitus ... 1, 28, 9 die quodam, cum publicum epulum in honorem idoli dedissent, Samson exhiberi jubent.

---

[1]) Cfr Holze II p. 81. Dræger l. l. p. 259. Kühner l. l. p. 106.

2, 35, 3 fuisse tempus, quo filius non fuisset. E 3, 6 licet ... non ignorasset ... non recusavit. D 1, 5, 6 cum illi... nummos aureos obtulissem, refugit. Pro conjugatione periphrastica legitur. 2, 12, 2 quia non sit verisimile, ut, si fuisset, nullam ... mentionem retulisset. 2, 38, 5 suos disposuerat, ut quis proelii fuisset eventus, primus cognosceret.

Futurum simplex pro futuro exacto legitur: D 3, 17, 5 si forte ad Africam transfretabis, referes audita Carthagini. Frequentius *futurum exactum pro fut. simpl.* E 3, 15 poterone umquam, si diutius vixero, non dolere. M 22, 6 res memoriæ mandabitur in exemplum cavendi, si quid deinceps uspiam tale contigerit. D 2, 7, 6 quodsi quis hoc uti voluerit exemplo, per omnia teneat. D 3, 5, 2 si quis fuerit credulus ... recurrat. Ne apud Cic. quidem desunt hujusmodi exempla [1]).

Conjug. periphr. loco *præsentis conj.* adhibuit. M præf. 2 sed vereor, ne tu ei (libello) janua sis futurus.

Aoristum Græcorum apud Severum frequenter per verbum, quod est coepi sequ. inf. exprimitur, id quod jam apud Cic. frequentius fit. [2]). 2 27, 1 hunc primum regem Iudæi externum coeperunt habere. M 13, 1 turba coepit obsistere. D 2, 9, 2 quæ (vacca) mox ad verbum illius stare coepit. D 3, 2, 3 filiam ... Martino coepit afferre. Cfr D 2, 4, 6. D 2, 14, 6, sæpius.

Perfectum, quod vocatur, *græcum* sæpius apud Severum per participia perfecti passivi conjuncta cum verbis habere, tenere formatum reperitur. 1, 35, 9 qui pensius ingenium mali spectatum haberet et cognitum. E 3, 2 obarratos habes notarios. D 2, 13, 8 tempus ... compertum habuimus. Cfr etiam 2, 6, 2 quæ (sacra vasa) recondita in thesauris habebantur. 2, 42, 4 suspecti habebamur; cfr 2, 49, 9. M 11, 2 altare ibi ... constitutum habebatur. — D 1, 9, 6 familia, quæ me tenebat implicitum. D 1, 21, 6 nec te diutius tenebo suspensum. Hunc usum Cic. satis frequentatum, apud scr.,

---

[1]) Cfr Dræger l. l. p. 283. Kühner l. l. p. 112.

[2]) Kühner l. l. p. 1050.

qui post eum fuerunt, rariorem fieri Dræger (p. 294) affirmat.

Perfectum et *plusqupf.* passiv. et depon. frequentius multo et liberius quam apud veteres [1]) per fuerim, fueram, fuissem formantur. 1, 50, 2 quod jam pridem fuerat omissum. 2, 8, 8 apposita fuerant. 2, 10, 3 fuerat potitus. 2, 36, 2 fuerat condemnatus. 2, 37, 2 fuerat judicatum. M 9, 3 evocati fuerant. 16, 4 fuerat ingressus. 19, 1 delata fuerat. 20, 7 contempti fuerant. D 1, 10, 4 operatus fuerat. D 2, 11, 2 fuerat emensus. D 3, 15, 2 objurgatus fuerat. D 1, 17, 8 temptatus fuerit et probatus. 1, 19, 7 fuisset ingressus. 2, 23, 3 negatum fuisset. M 7, 1 fuisset susceptus. 21, 3 adfectus fuisset. 24, 5 fuisset hebetatus. D 2, 5, 8 fuisset admissus. D 2, 13, 3 fuisset collocatus et sæpius.

Adscribatur denique exemplum conjugationis illius periphrasticæ satis insolentis, quæ participio præsentis formatur [2]). E 2, 1 eram residens solus in sellula.

Sequitur, ut de *consecutione temporum* nonnulla verba faciamus. *Præsenti* igitur *historico* contra Ciceronianum usum præsens subjungitur, quum præcedit enuntiatio secundaria. 2, 24, 3 ut sibi sit auxilio implorat. Contra legitime dicitur 1, 21, 7 ut terram videret tantum nec contingeret peccato ejus ascribitur. Si antecedit enuntiatio primaria, post præs. hist. præs. conj. ponitur. 1, 20, 7 obtestantur, ne ... credant. 1, 44, 4 hortatur, ut in proelium exeat. Interdum perf. conj. 1, 34, 1 Samuelem alloquitur, poenitere se, quod Saul regem constituerit (Tempus or. r. retinetur). 1, 42, 3 huic triplex peccatum ascribitur: unum quod ... confisus sit ... alterum quod ... conjecerit, tertium quia ... speraverit. Cfr 1, 21, 7. D 3, 12, 3. Frequentius multo imp. et interdum ppf. usurpatur. 1, 17, 5 monetur, populus ut sanctificaretur. Cfr 1, 22, 2. 1, 23, 2. 1, 28, 1. 1, 33, 4.

---

[1]) Kühner l. l. p. 121 seqq. Dræger l. l. p. 276 seq. Kühnast l. l. p. 204 seqq.

[2]) Cfr Holze l. l. II p. 5. Dræger l. l. p. 293. Kühner l. l. p. 116.

1, 54, 2. 2, 2, 1. 2, 8, 4 et 5. 2, 15, 8. 2, 19, 7. 2. 34, 4. 2, 36, 4. 2, 39, 1. 2, 41, 1. 2, 44, 1. M 23, 8. D 1, 6, 2. D 1, 11, 1. — Chr. 2, 1, 8 interrogat ... sub cujus generis arbore adulteram deprehendisset. Nonnumquam et præs. et præt. leguntur. D 3, 12, 1 et 2 ad regem concurrunt, prædamnatos se conquerentes, actum esse de suo omnium statu, si ... armaret ... nihil actum ... si exerceat. (Tempus or. r. ret. de re, quæ fieri potuit). Quamquam hæc omnia apud Cic. reperiuntur [1]).

Jam vero, si consecutionem temporum in sententiis secundariis *temporibus præteritis* subjectis respexeris, frequenter in iis *præsens vel perf.* legitur, et sæpius quidem in enunt. consecutivis. 1, 33, 5 in maxima ferramentorum inopia exercitus erat, adeo ut ... nemo gladium habuisse tradatur. Cfr M 1, 6. 5, 6. D 2, 2, 7 fatebamur, non esse sub coelo, qui ... possit. 1, 14, 2 locutus est, Dominum se esse A. I. et J., quorum progeniem ereptam cupiat. E 3, 5 ego tibi statui nihil scribere, ne ubique me publices. D 1, 2, 1 satis probasti, quantum pius amor possit. D 1, 6, 2 dicebant, non ... reliqua esse damnanda, cum ... possit. Crebriora sunt exempla *perfecti conj.* post. temp. præteritum positi et sæpissime quidem in sententiis consecutivis. 1, 38, 3 tanta in eo pietas erat, ut ... voluerit. Cfr 1, 40, 1. 2, 45, 8. 2, 46, 9. M 12, 1. 14, 1. 16, 1. 19, 2. 26, 2 et 5. E 1, 2. D 1, 12, 1. D 2, 8, 3. D 2, 12, 1. D 2, 25, 4. Neque vero hujus usus exempla apud principes sol. or. script. desunt [2]). In enuntiationibus consecutivis inter se copulatis aut idem tempus continuatur aut imperfectum perfecto excipitur. M 19, 2 quæ res apud Arb. tantum valuit, ut puellam Deo voverit et perpetuæ virginitati dicarit. 26, 5 tantam patientiam adsumpserat, ut ... impune etiam ab infimis clericis læderetur nec eos aut loco umquam amoverit et q. s. Illud vero annotatione dignius, quod in sententiis consec. *inter se subjectis* idem tempus perf. retinetur, quod genus

---

[1]) Dræger l. l. p. 232 seqq. Kühner l. l. p. 774.
[2]) Cfr Dræger l. l. p. 265 seqq. Kühner l. l. p. 779 seq.

apud Latinos rarissimum esse Dræger (p. 272) docet. 2, 46, 9 facem quandam nascenti incendio subbidit, ut exasperaverit malos potius quam compresserit. M 16, 1 tam potens ... erat, ut nullus fere ad eum ægrotus accesserit, qui non continuo receperit sanitatem. D 1, 25, 4 ita invictum spiritum gessit, ut illa vitia (vanitatem adque jactantiam) fortius nemo contempserit, cum quidem inmundis spiritibus adflatos absens plerumque curaverit.

His jam supra collectis locis adscribantur nonnulli, ubi etiam in aliis enuntiationibus perf. conj. post temp. præt. positum reperitur; cujus generis exempla apud inferioris potissimum ætatis script. hic illic occurrunt [1]); 1) in interrogatione obliqua: 1, 29, 7 quot anni fuerint ... minime scriptura prodiderit. 1, 36, 5 unde hæc auctoritas fuerit assumpta, non repperi. 2, 41, 1 quis eo tempore ... regnaverit, historia non edidit. Singula tantum ejusmodi exempla e Liv. Val. Max. Tac. Capitol. assumpta Dræger l. l. p. 262 affert. 2) In sententiis relativis: M 22, 4 testabantur, Martinum respondisse ... absolvendos esse peccatis, qui peccare desierint. 24, 3 rettulerunt, quendam ... exstitisse, qui ... jactaverit. (His locis temp. or. rectæ in obl. or. retinetur). 3) In enuntiatis temporalibus: D 1, 12, 3 cum eum libertus deseruerit ingratus, miseratus est potius quam insectatus abeuntem. Temp. or. r. est retentum: E 1, 14 fatebatur ... tamdiu circa se sævisse ignem, quamdiu ... erumpere temptaverit. D 3, 14, 1 testantem quendam nuper audivi ... cum ... clamaverit ... mox tempestatem fuisse sedatam. 4) In enunt. causalibus: 1, 36, 4 cum intra id tempus Saul regnaverit atque decesserit, parvo admodum spatio tenuit imperium. D 1, 16, 4 annum integrum ... exegi magis virtutis admirator alienæ, quam quod ipse tam arduum adque difficile potuerim temptare propositum. D 2, 8 3 quia quandam viduam vagam ... objurgaverim ... tanta

---

[1]) Cfr Dræger l. l. p. 261 seqq.

.,. odia concivi. Rarissima apud Latinos hujus generis exempla esse videntur. (Cfr Dræger p. 263).

Restat, ut exempla nonnulla annotemus temporum præsentis vel perfecti post præterita præsenti vel imperativo subjecta. 1, 21, 3. notatus . . . refertur, quod . . . eduxerit. 1, 24, 7 nihil mirum videri potest, Chr. ab his non fuisse receptum, cum . . . deprehendantur. D 1, 6, 5 miror . . . hominem tam diversum a se esse potuisse, ut . . . habeat . . . doceatur. D 1, 24, 4 puta enim istum fuisse militem, qui pugnaverit et . . . evaserit. 1, 40, 2 non dubito . . . potius . . . veritatem fuisse corruptam, quam ut propheta erraverit. M 4, 7 quis dubitet, hanc vere beati viri fuisse victoriam, cui præstitum sit.

De usu Modorum.

De indicativo in or. obl. posito et in enuntiatis secundariis, ubi conj. exspectares, infra disseremus.

In usu *conj. potentialis* eo præcipue ab optimis sol. or. script. distat Severus, quod et sæpius eo utitur et licentius, si quidem frequenter conj. perf. adhibet idque non solum in enuntiatis primariis, sed interdum etiam in secundariis, cujus usus exempla et apud aur. æt. scr. perrara sunt [1]) nec apud post. frequentia [2]). Severianum autem frequentem conj. potentialis usum exemplis variis adumbremus: 1, 1, 4 recognoscat. 2, 45, 8 non ausim. E 3, 1 quod velim. D 1, 2, 3 sit melius. 1, 35, 9 crederes; cfr D 2, 9, 6. Chr. 2, 46, 4 cerneres; cfr M 14, 2. 23, 6. D 1, 13, 8. 1, 45, 5. 2, 2, 5. 3, 6, 4 et 5. M 12, 3 videres; cfr D 3, 6, 2. M 13, 8 putares; cfr D 3, 3, 8. E 3, 20 ignosceres flentibus, congratularere gaudentibus. — 1, 1, 5 non ita legentibus auctor accesserim. 1, 23, 5 equidem hoc exemplum non tacitus præterierim . . . legendumque ingesserim. 2, 12, 1 non facile perspexerim. 2, 14, 4 crediderim. 2, 14, 6 adduxerim. 2, 41, 4 senserim.

---

[1]) Cfr Kühner l. l. p. 134. [2]) Dræger Tac. § 28.

E 2, 8 dixerim; cfr D 1, 9, 5. D 3, 4, 6 satis solverim. In enuntiatione secundaria; 1, 1, 6 quæ ibi legerit. E 2, 8 quod dixerim. D 1, 3, 5 ut ita dixerim. D 1, 16, 4 quod potuerim. In interr. affectus animi indicantibus: M 23, 10 quis dubitet. E 3, 1 quid non conquerar. E 3, 17 quis crederet. Interdum script. a conj. pot. ad indic. abiit. 2, 41, 4 longe aliter senserim laudique attribuo.

Ad usum *infinitivi* quod attinet, primum est commemorandum, sexcentis locis *infinitivum hist.*, qui vocatur, Severum adhibuisse et maxime quidem in rerum descriptionibus, ubi vivida opus erat oratione. Sæpius singuli occurrunt, id quod apud alios raro evenit [1]). 1, 22, 5 instare. 1, 43, 4 causari et 5 credere. 2, 4, 5 hortari. 2, 8, 5 negare. 2, 11, 3 deflere. 2, 44, 2 profiteri. 2, 47, 5 instare. M 3, 2 gemere. 17, 2 negare. 23, 4 comminari. D 2, 3, 8 aparere. D 2, 4, 8 fateri. D 2, 11, 2 abnuere. D 3, 2, 5 orare. Crebrius multo duo tresve nonnumquam quinque una collocantur velut: 1, 32. 5 detorquere . . . exponere . . . extollere . . . detestari . . . denuntiare. 1, 35, 8 fateri . . . precari . . . fundere . . . extollere . . . incusare. Rarius apud omnes scriptores passivam formam habet [2]). 2, 7, 4 haberi. D 1, 18, 3 permoveri. Numquam apud Severum in enuntiatis secundariis occurrit.

De conatu inf. hist. usurpatus reperitur. 1, 32, 4 at ille placide salubri oratione ab insana voluntate detorquere plebem.

De Enuntiationibus Secundariis.

Infinitivus multis subjicitur verbis, ubi apud optimæ latinitatis auctores alia structura in usu fuit. 1, 33, 2 parere imperio *abnuens;* cfr D 3, 17, 5. (Liv. post. Kühner p. 405. Kühnast p. 250). D 1, 5, 1 *cavebo* . . . cujusquam abstinentiam prædicare; cfr D 3, 13, 4 (Poet. post. raro

---

[1]) Dræger l. l. p. 329.
[2]) Cfr Zumpt Lat. Gram. [12] § 599 ann.

Cic. Sall. Dræger II p. 322. Kühner p. 799). *Cœpi* sequente infinitivo passivi legitur. 2, 30, 3 oppleri cœpere. E 3, 9 coepit destitui et sic semper. Impersonaliter, ut ajunt, usurpatum passiva forma adhiberi, consentaneum est. 2, 29, 3 in Christianos sæviri coeptum. 1, 19, 4 Aaron *compulit* simulacra facere; cfr 1, 41, 5. 2, 4, 3. 2, 45, 1. 2, 42, 2. M 6. 4. 12, 5. 16, 6. 23, 10. D 1, 22, 5. 1, 23, 7. 3, 5, 6. 3, 11, 3. (Poet. Liv. 22, 6, 6. post. Dræger p. 315). Cfr 2, 7, 1 regem compellunt, ut . . . 1, 23, 1 *conspirant* Hebræos armis depellere; cfr 2, 11, 5. 2, 37, 2 (Suet.). 1, 7, 2 non *cunctatus* offerre; cfr M 15, 1. (Cic. Tim. 3 Liv. post. Dræger II p. 326; hanc structuram apud Cic. aut Cæs. umquam exstare negat Kühnast p. 252). E 2, 16 quodque . . . præstare *dignatus* est; cfr D 1, 15, 7. 3, 17, 7. (Poet. post. Dræger II p. 320. Kühner p. 491). 2, 45, 7 non *detrectans* perfidiam profiteri. (Arnob. Dig. Kühner p. 495). D 1, 18, 4 nec *distulit* parere præcepto; cfr D 2, 1, 4. (Hor. Liv. 42, 22. Curt. Kühnast p. 252. Dræger II p. 326. Kühner p. 495). D 1, 23, 8 quæ a te audire *desidero*. (Cic. tribus locis. Kühner p. 496). D 2, 8, 3 de istis tacere *disposui;* cfr D 3, 4, 1 (Infer. æt. scr.). M 8, 3 *enisus* adsurgere. (Poet. Sall. Jug. 14, 1. Amm. 17, 5, 15; Omnino raro. Dræger II p. 300. Kühner p. 491). 2, 13, 2 id . . . facere *fastidiens:* cfr D 3, 18, 1. (Liv. 10, 8, 7, post. Dræger II p. 330. Kühner p. 495). D 3, 1, 3 qui hæc Orienti inferre *festinat;* cfr D 2, 5, 3. (Cic. Att. 3, 26. post. Dræger II p. 308). M 12, 3 *imperat* . . . onusque deponere. (Poet. Sall. Jug., 47, 2. Val. Max. Tac. Kühner p. 503). D 1, 21, 5 ut non *indigeant* libris Hieronymi coerceri. (Gell.). D 3, 1, 5 *maturavimus* frequens auditorium facere. (Cic. Att. 4, 1, 8. Cæs. b. g. 1, 7. Sall. Liv. post. Dræger II p. 308. Kühnast p. 253). 1, 50, 2 ne eadem pati *mererentur;* cfr 1, 51, 3. D 1, 26, 3. 2, 6, 7. 3, 17, 6. (Ov. infer. æt. Dræger II p. 319). Cfr 2, 10, 1 meruit, ut. D 1, 17 4 id optinere *promeruit.* 2, 18, 6 plerique . . . *poscerent,* permitti sibi. (Poet. Dræger II p. 311. Kühner p. 502). Sæ-

pissime ut part. sequitur. 1, 32, 3 *præoptabat* libertatem servitio mutare. (Plaut. Capt. 684. Cæs. b. g. 1, 25, 4 post. Kühner p. 496). D 3, 10, 3 *processimus* — videre. (Poet. Kühner p. 501). E 3, 6 proficisci non *recusavit.* D 1, 18, 3 non *recusaret* intrare. (Raro Cic. docet Kühnast p. 254. Numquam Cic., sed apud ejus æquales. Cæs. b. g. 3, 22. Liv. post. poet. Dræger p. 323). 1, 34, 6 *timens* necare; cfr D 1, 4, 6. (Raro apud antiquiores script. Dræger II p. 328. Kühner l. l. p. 391). M 5, 2 *temptavit* sibi eum inplicare; cfr M 6, 7. D 1, 7, 5. 1, 18, 2. Chr. 2, 21, 4. (Poet. Bell. Gall. 8, 40. Nep. Att. 4, 2, Liv. 32, 21, 10 post. Dræger II p. 301. Kühner p. 491). 1, 23, 7 bello *territis* . . armis temptare. (Manil. Amm.). 1, 19, 9 ut intueri eum populus non *valeret;* cfr 1, 19, 2. M præf. 6. 12, 4. 27, 3. D 1, 18, 2. 1, 20, 6. 1, 22, 4. (Hanc structuram e Ciceronis libris sublatam esse auctor est Kühnast p. 264. Poet. Liv. 38, 23, 4. post. Kühner p. 495 — 6. Dræger p. 293). M 17, 7, *vitabam* attingere. (Hor. Sen. Kühner p. 496). D 2, 6, 6 *venit* audire. (Piso apud Gell. 6, 9, 5. Kühner p. 501).

Locutionibus his infinitivus insolentius subjungitur: M 25, 1 *ardebat animus* vitam illius scribere. (Sall. Verg. Ov. Val. Flacc.). D 1, 7, 5 non *fuit animus* ibi consistere; cfr 1, 4, 3. (Poet. post. Kühner p. 492. Dræger p. 306). 2, 22, 1 purgare templum et restituere *animum intendit.* 1, 4, 5 *his consilium fuit* . . . famam quærere; cfr 1, 23, 4. 2, 9, 2. (Plaut. Cic. Att. 5, 5, 1. Sall. Cat. 4. Liv. post. Dræger l. l. p. 307). M 12, 2 quia esset . . . *consuetudo*, simulacra . . . circumferre. (Cic. Rab. perd. 1, 1. Cæs. b. g. 4, 7. Dræger l. l. p. 344). M 25, 3 nec *constantia fuit* reniti. 1, 38, 6 eum *cupido incessit* . . . populum censere: cfr 2, 16, 3. (Curt. 4, 8, 3. Dræger l. l. p. 348). 1, 8, 4 illis *cura fuit* . . . ducere. (Poet. post. Dræger l. l. p. 348). 1, 54, 7 præesse paucis et calamitosis *nulla dignitas* erat. M 10, 1 non *est nostræ facultatis* evolvere. (Stat. Th. 4, 513 Kühner p. 554). 2, 10, 2 *magnæ molis erat* urbem restituere. 1, 28, 4 erat Allophylis mo-

ris ... Samson ... producere. (Hanc structuram Dræger nusquam invenit; cfr p. 344). 1, 47, 4 quod solis facere sacerdotibus *mos erat*; cfr 1, 54, 3. E 1, 10. D 3, 3, 2. (Cic. de or. 1, 18, 84. Sall. Liv. poet. post. Dræger l. l. p. 344). D 2, 2, 5 *fuit ei necessitas* adire comitatum. D 1, 4, 7 cui vel necessitas vel *natura est* esurire. M 1, 4 cum hominis *officium sit* ... quærere. (Cic. de or. 1, 31. Dræger l. l. p. 348). 1, 6,2 non *est hujus operis* exponere. 2, 28, 2 nisi non esset hujus operis tam vasta ingredi. (Apud Livium solum hanc locutionem reperiri contendit Dræger l. l. p. 346). M 1, 3 cum eos non solum imitari stultilia sit, sed non acerrime impugnare dementia. (Plaut. Cic. Liv. Dræger p. 347).

Adjectivis et *participiis* nonnullis additur. 1, 34, 2 *assuetum* cithara canere. (Liv. post. Kühner p. 492). D 1, 21, 4 vili cellula *contentus* habitare. (Poet. post. Dræger l. l. p. 361). D 3, 10 *edoctus* ... piscari. (Poet. Dræger l. l. p. 353. Kühner p. 505). 2, 33, 7 *insolens* humana suscipere. E 3, 13 cedere *nescius*. (Poet. Dræger p. 354).

Accusativus cum infinitivo minus usitate verbis, adjectivis locutionibusque nonnullis adjungitur. 1, 25, 4 ille *abnuere*, se ... suscipere (Poet. Kühner p. 510). 1, 43, 4 illa *causari*, non esse sibi nisi pusillum farris; cfr D 2, 1, 7. 3, 8, 6. (Liv. post.). D 2, 14, 1 ut idola .. coli *cogat*, cfr D 2, 14, 3. (Perraro apud veteres script. Dræger p. 395). 1, 27, 2 dum *cogito*, me verba facturum. (Cic. tribus locis, poet. post. Dræger p. 364). 2, 36, 3 eosdem illos judices hæreticos esse nemo *dubitabat*. 1, 42, 2 *non dubito* ... veritatem fuisse corruptam. D 1, 6, 4 illum prava sensisse *non dubium est*. (Apud Cic. semel, semper fere apud Nep.; sæpius Liv. post. Kühner p. 832; cfr Dræger II p. 370). D 1, 3. 6 consistere ibi homines non alia ratio *facit*; cfr 1. 54, 7. (Cic. Brut. 38, 1, 42; priscæ infimæque æt. script. Dræger p. 393). 1, 9, 6 benedici se ab eo *flagitabat*; cfr M 11, 2. (Plin. Suet. Apul. Dræger II p. 390. Kühner p. 810). D 2, 1, 1 *orans*, sibi vestimenta dari. (Singulis tantum locis apud Tac. et Suet. hæc stru-

ctura reperitur. Dræger l. l. p. 386. cfr Kühner p. 511). Sæpissime apud Sev. ut particula sequitur. M 12, 5 eos .. abire *permisit;* cfr D 2, 3, 10. (Tac. Suet. Apul. Gell. Lact. Dræger p. 391). 2, 1, 3 cum eos rex delicatioribus cibis curari *præcepisset;* cfr. M 21, 3. D 1, 18, 3. 2, 3, 5. 2, 11, 1. (Curt. Suet. Apul. Just. Dræger p. 388). Sæpissime cum solo infinit. conjungitur, raro cum ut particula: 1, 19, 6. 1, 39, 2 sibi sapientiam dari *poposcit;* cfr 1, 41, 7. 1, 43, 6. 2, 38, 6 (Cic. parad. 1, 6. ubi tamen Dræger (p. 390) scripturam mutandam esse putat. Hor. Sen. Plin. Just. Dræger l. l.). Crebro ut particula sequitur. 2, 8, 6 sueta inferri et obsignari templum *deposcunt;* cfr D 2, 1, 2. 2, 1, 7. reduci eam in judicium causamque denuo audiri *postulabat;* sic semper infinit. pass. cfr M 2, 3. 16, 7. D 1, 20, 3. (Frequenter Plaut. Ter., rarius Cic. Cæs. Liv. post. Dræger p. 389). D 1, 8, 2 cum .. suscipi se *rogaret.* (Just. Dræger p. 386). Sæpe ut sequitur. E. 2, 10 numquam .. desecari membra *timuisset.* (Cæl. ad Fam. 8, 11, 3. Livius. Dræger p. 375. Kühner p. 510). Cfr denique D 1, 9, 2 *irascitur,* edacitatis nimiæ nos notatos. (Hanc structuram nusquam reperiri Dræger p. 374 affirmat). D 2, 1, 4 se ... algere *deplorans.*

Adjectivis his et *participiis acc. c. inf.* subjungitur: M 23, 9 bene *conscius,* inludi eum non posse. (Apud Verg. solum inf. sequitur. Kühner p. 505). 2, 5, 4 haud *dubius,* divinam in re præsenti fuisse virtutem. (Liv. post. Dræger p. 370). 2, 7, 2 non *rudis* neque *nescius.* Deo preces deferendas. (Infinit. adj. rudis apud Sil. adjungitur, apud Stat. post inscius sequitur. Kühner p. 505). 1, 6, 5 *edoctus,* perdendum oppidum; cfr 1, 20, 5. (Infinitivus apud Sall.). D 3, 3, 5 *exterritis,* benedictionem Dei periisse.

Locutiones has sequitur. 2, 13, 4 *edictum emittitur,* Iudæos necandos: cfr 2, 7, 4. D 1, 15, 1 *fides* ... *adest,* me nihil fingere. 2, 13, 4 *facimus indignum,* immeritam gentem perire. (Cic. Verr. 5, 66, 170. Quintil. Kühner

Index). 1, 3, 4 *manifestum indicium*, nudari cacumina arborum. (Cfr Liv. 6, 13, 7 manifesta fides, publica ope Volscos hostes adjutos). M præf. 5 quia *nefas* putarem, tanti viri latere virtutes.

Multi sunt loci, ubi *infinitivo* vel *acc. c. inf.* prægressum substantivum explicatur. 2, 8, 8 tum Daniel occultam fraudem reserat, sacerdotes . . . ingressos . . . devorasse; cfr 2, 46, 3. M 2, 8 agebat quendam . . . baptismi candidatum: adsistere . . . laborantibus, opem ferre miseris et q. s. D 1, 10, 2 illorum prima virtus est, parere alieno imperio. D 1, 12, 2 præclaram esse virtutem, iracundia non moveri. D 1, 13, 2 cujus hic erat totus labor, aquam producere. Similia sæpissime apud Plaut., nonnumquam apud Cic., Sall., Liv., post. occurrunt [1]).

Frequentius pro *inf. præsentis inf. perf.* positus videtur. M 12, 3 hic vero videres, miseros primum velut saxa riguisse. D 2, 2, 6 tum vero vidimus venenum . . . ad Martini digitum cucurrisse . . . dein . . . stipasse. D 2, 13, 7 cum multos hodieque videamus nec Evangeliis credidisse; cfr Chr. 2, 42, 4. Cfr etiam 2, 28, 2 id tantum adnotasse contentus sum, hunc per omnia foedissima et crudelissima eo processisse, ut . . . (Poster. Dræger l. l. p. 256).

Vix opus est annotare, infin. activi et passivi promiscue poni, 1, 11, 5 unum poenas capite luiturum, alium absolvendum pronuntiavit. 1, 39, 4 alia vero cedere potius puero quam discerpi eum mallet. M 12, 3 imperat turbæ non moveri loco onusque deponere. (Interdum Cæs. Liv. Tac. ita scripserunt; cfr Dræger Tac. §. 149).

Nom. c. inf. sæpius insolenter positus reperitur. 2, 29, 1 *credebatur* imperator gloriam innovandæ urbis quæsisse. 2, 16, 4 cum . . castris egredi *crederetur*. (Poet. post. Dræger p. 426). 2, 7, 2 *reus constituitur* edicto regis non paruisse. D 1, 6, 5 nemo deformius *doceatur* errasse. D 1, 24, 2 plane admirabilia *docentur* operari. (Hac no-

[1]) Kühner l. l. p. 490. Madvig. l. l. p. 357.

tione apud Cic. solum legi et quidem semel tantum (inv. 2, 11, 36) affirmat Dræger p. 423). D 3, 11,11 facile *excusabitur* ... subsidia imperio paravisse. (Cic. semel sic dixisse (Phil. 5, 5, 13) docet Dræger p. 423, cfr Kühner p. 521). D 1, 7, 3 doctissimi *ferebantur* in hoc certamine dissidere; cfr D 2, 7, 1. Sall. Jug. 64, 4 post. Dræger p. 427). 1, 4, 3 oppida condita *memorantur* (Cic. Verr. 4, 48, 107). 2, 37, 8 qui ... esse hæreticus *probaretur* (Ov. solum ac semel, m. 2, 92, Dræger p. 427). 1, 46, 5 novem annos regnasse *scribitur*. (Cic. de nat. d. 2, 49, 124: cfr Kühnast p. 256). 2, 14, 3 duodecimo regis illius anno Judith fuisse *signatur*. 1, 46, 5 novem et viginti annos imperium tenuisse *annotatus est*. (Tac. ann. 13, 35). 1, 36, 1 XL annos regnasse *dictus est*. (Cic. de rep. 2. 27. p. Scauro 2, 11. ad Qu. fr. 1, 2, 9. Dræger p. 423. Dræger Tac. § 152). D 1, 17, 8 qui *fuerit probatus* nullum recusaturus imperium. (Cfr supra). 2, 12, 5 *reperta est* Ester ceteras specie vincere. Contra acc. c. inf. legitur, ubi *nom. c. inf.* exspectares. 2, 30, 6 nonnullis *videbatur*, ædem sacram non oportere deleri. 2, 45, 4 cum plerisque *videretur*, non ineundam cum his communionem. Cfr 1, 10, 6 (Perraro Cic. Enn. Plaut. Bell. Alex. 19 Gell. Dræger p. 368 et 433).

Satis sæpe *acusativus pronom.* in structura acc c. inf. omittitur E 3, 4 litteras, quibus scribis ... exponere debuisse. Cfr 2, 21. D 3, 6, 2. (Perraro apud priscos et Cic. Dræger p. 414).

Illud vero memorabilius, quod Severus sæpissime pro acc. c. inf. *quod* vel *quia* post verba sentiendi et dicendi usurpavit. Exemplis ab Halmio collectis hæc fere addenda videntur: M 18, 4 nec prætereundum est, quod fimbriæ ... egere virtutes. D 1, 25, 1 si revolvas, quod feritas bestiarum victa succubuit. Apul. Just. cet. quod sæpius sic adhibent; apud eccles. etiam quia ita usurpatum frequenter occurrit. (Cfr Dræger p. 225 seqq. Kühner p. 838).

Ut particula = "huru" nonnumquam jam apud Cic. et Cæs. verbis sentiendi et declarandi adjungitur; apud Liv. et post. hic mos rarissimus videtur esse. 1, 35, 8 sua in illum commemorans beneficia, ut sæpe . . . objectasset, ut . . interimere voluisset. (Cfr Justin. 12, 12 sua in illos beneficia commemorat, ut . . Dræger p. 457). Cfr 1, 50, 1 et sæpius.

Multi sunt loci, ubi in enuntiationibus obliquæ orationis secundariis indicativus positus reperitur. 1, 1, 4 non pigebit fateri, me, sicubi ratio exegit . . . usum esse historicis mundialibus atque ex his, quæ . . deerant, usurpasse . . Cfr 1, 15, 1. 1, 21, 6. 1, 25, 5. 2, 8, 8. M 3, 3, M. 25, 5. E 2, 7. Chr. 2, 15, 7 dum coercentur. M 21, 4 dum . . . constringit. Perraro principes sol. or. script. sic loquebantur, sæpius Liv. post.[1]).

Frequentius multo quam apud meliores sol. or. script.[2]) verba sentiendi et dicendi orationi inseruntur ita, ut nullam in enuntiationis structuram habeant vim. 1, 3, 5 ut ego comperio. M 1, 1. ut putabant. M 5, 3 ut ferunt; cfr M 6, 5. M 27, 7 ut spero. E 1, 7 ut arbitror; cfr D 1, 1, 4. D 3, 2, 1. E 2, 8 ut spero, credo et confido. D 1, 23, 8 ut credo. Chr. 2, 10, 5 credo; cfr D 1, 4, 7. D 1, 17, 4. E 2, 6 fateor. E quotidiani sermonis negligentia hunc morem esse natum ex frequentissimo comicorum usu conjicere licet.

Frequenter or. obl. incipit verbo dicendi vel sentiendi non prægresso; prægreditur plerumque verbum cognatæ significtionis. 1, 32, 5. 1, 50, 5. 2, 2, 1. 2, 13, 4. 2, 15, 4. 2, 30, 7. 2, 44, 1. 2, 50, 5. M 9, 3. D 1, 14, 1. 2, 3, 9. 2, 11, 2. 3, 12, 3. 3, 14, 6.

Per occasionem nonnulla de *verbi ellipsi* annotemus. Sexcentis locis apud Severum formæ verbi esse omissæ reperiuntur neque solum in enuntiatis primariis sed frequenter etiam in secundaris. 1, 20, 6 quod ubi po-

---

[1]) Cfr Dræger Tac. § 151. Dræger l. l. p. 416 seqq.
[2]) Dræger p. 209 seqq. Kühner p. 525 seq.

pulo compertum; cfr 1, 17, 1. 1, 29, 5. 2, 2, 3. 2, 13, 4. 2, 16, 1 et 5. 2, 21, 2. D 1, 12, 3 — 2, 30, 2 quæ postquam ad Vespasianum delata. 2, 33, 6 cum in coelum Dominus nube sublatus. D 3, 15, 5 cum interea... reductus. 2, 9, 1 donec... ab ædificando deterriti. — 1, 16, 8 cujus sapor melli proximus. 1, 3, 2 qua ille... clausus. 2, 46, 1 (tempora) quibus pollutæ ecclesiæ et perturbata... omnia. E 2, 2 (somnus) qui ut semper matutinis horis levior incertusque. — 2, 23, 3 quia infido ingenio male usus. 2, 33, 4 siqvidem Hierosolyma ecclesiis adornata. Raro formæ conjunctivi desunt. 2, 4, 6 quid de ea postea actum, sacris litteris siletur. E 2, 17 quo spes nostra tenenda, quo animus dirigendus, instruxit. Alia verbi ellipsis exempla addamus: M 20, 8 Maximo longe ante prædixit... esse periturum, quod quidem ita (aud. factum esse) vidimus. 2, 6, 5 interpretatusque est ... regnumque ejus Medis ac Persis datum (aud. iri). Verbum quærendi supplendum: M 21, 3 sollicitos ire præcepit per sellulas singulorum, quisnam hoc casu adfectus fuisset. 2, 8, 5 eos increpitat, quis inpensa consumeret. Cfr denique 1, 32, 4 frequentes Samuelem circumsistunt (int. orantes), ut regem eis constitueret. His adjungantur denique exempla satis insolentia sententiarum contractionis, quæ vocatur[1]). D 1, 13, 6 nam hæ tantum in eremo arbores, licet raro, habentur tamen. (Plin. ep. 9, 25, 3 nunc me rerum actus modice, sed tamen distringit. Cfr Cic. acad. 2, 15). 2, 44. 7 etenim his verbis, quibus similis esse ceteris creaturis filius negabatur, creatura tamen, potior tantum ceteris pronuntiabatur.

Sed ut ad majora revertamur, alia jam genera enuntiationum secund. nonnulla deinceps perlustrabimus.

Enuntiationes relativæ. De usu enunt. rel. annotandum est, Severum sæpe indic. in iis posuisse, ubi veteres sol. or. script. conjunctivum prætulissent, velut in enunt. *causalibus et concessivis.* 1, 33, 5 nam præter imbecillita-

---

[1]) Cfr Dræger I p. 209.

tem animorum, qui alienum a se Deum delicto regis arbitrabantur. M 2, 5 prodente patre, qui invidebat. E 3, 3 tu sola culpabilis, quæ et mihi insidiaris et illos fraude circumvenis. D 1, 2, 1 satis probasti, quantum amor possit, qui ... tot maria... emensus... venisti. D 1, 4, 6 facis inhumane, qui ... cogis. Cfr E 2, 6 et 14. D 3, 3, 6 et sæpius. Conjunctivus in ejusmodi sententiis legitur: 1, 54, 1. M 23, 5. E 3, 14. Cfr denique E 1, 10 quippe qui nuda humo... cubare consueverat. Sæpe conj. post "quippe qui" ponitur. — E 2, 16 consolatum esse te cupio, qui me solari ipsum non possum. D 1, 6, 1 decrevisse videbantur, ne quis Originis libros legeret aut haberet, qui tractator scripturarum sacrarum peritissimus habebatur.

Non ita frequenter enunt. rel. *finali notione* adhibentur. 1, 41, 6 quibus populus litarent. 1, 45, 1 qui .. consulerent. Cfr 2, 13, 4. 2, 22, 3. 2, 31, 4. 2, 42, 6. 2, 49, 4. D 1, 15, 6. (Apud Tac. ejusmodi enunt. perraro inveniri videntur) [1]).

Nonnullis locis per conjunctivum sentent. rel. actio repetita notari videtur. M 10, 7 vinum nemo noverat, nisi quem infirmitas coegisset. D 1, 15, 2 quas nox coegerit, sedes habent. Fortasse huc vergit etiam D 1, 17, 8 neque aliter adveniens . . . suscipitur, quam qui temptatus prius fuerit et probatus. Perraro optimæ script. sic loquuntur [2]).

Exempla denique annotavi nonnulla generis illius attractionis, quo substantivum enuntiationis primariæ relativæ enuntiationi inseritur et in eodem casu, quo pron. relativum est, ponitur. M 9, 5 quem primum versum invenit, arripuit. E 3, 1 quid enim non conquerar, quam a te patior injuriam. E 2, 1 subieratque me illa, quæ sæpius occupat cogitatio. D 1, 2, 3 an isti omnes, quos hic reliqueram sacerdotes, tales sint. Omnino hæc

---

[1]) Dræger Tac. § 158. [2]) Dræger II p. 513.

consuetudo apud sel. or. auctores non ita frequens est [1]. — Attributum substantivi enunt. primariæ enuntiationi relativæ inseritur. 1, 41, 1 cum laxari sibi stipendium poposcisset, quod Salomon gravissimum inposuerat. D 3, 15, 1 in area, quæ parva admodum ambiebat. (Cic. nonnullis locis et hic illic Liv. et poster. Dræger l. l. p. 475). Cfr etiam D 1, 16, 1 herbarum radicibus, quas perdulcis interdum et saporis eximii fert harena.

Interrogationes obliquæ. More antiquissimorum script. [2]) indicativus in interr. obl. legitur. E 3, 3 rogo, quemadmodum tam cito epistula illa . . . potuit pervenire. D 1, 8, 6 sed quæso te, liber iste numquid hoc solum vitium damnat.

Multi sunt loci, ubi *an* pro *ne* vel *num* usurpatur, quod genus loquendi poet. Liv. post. esse notum est [3]). 1, 12, 3 ut ex eo quæreretur, an isti Cfr M 5, 5. D 1, 2, 3. D 1, 4, 3. D 3, 10, 1 interrogat, an. Cfr 2, 30, 5 fertur deliberasse, an. M 18, 1 imperat, ut an verus esset hic nuntius fateretur. 2, 29, 5 incertum, an.

An particulam pro eo, quod est quam, insolenter adhiberi hic præteriens commoneo. E 1, 6 adque nescio an pæne plus fuerit vixisse in profundo an supra maris profunda transisse.

Num nullo loco inveni, *numquid* duobis locis. (D 1, 8, 6. D 2, 11, 4).

Notum est, voc. si, ut Græcorum *εἰ*, interdum apud veteres script. interr. particulæ notione adhiberi post verba exspectandi, experiundi, conandi, similia [4]). Severus autem longius evagatur. D 1, 2, 2 ex te audiamus. si . . . licet. D 2, 11, 3 dic mihi, si . . . fuisti.

Enuntiationes temporales. Conjunctivus, qui vocatur, *iterativus* sæpius partic. temp. subjectus reperitur. 1, 1,

---

[1]) Dræger l. l. p. 474.

[2]) Holze II. p. 110 seq. Dræger p. 446 seqq. Kühner p. 989 seqq.

[3]) Kühner l. l. p. 1023. Dræger p. 460.

[4]) Kühner l. l. p. 946.

5 nisi cum illa quis familiariter noverit, hic recognoscat. (Contra indic. 2, 25, 5 nisi cum armis restiterunt). 2. 13, 5 nec tamen, cum fuerit regi libitum ... admittitur. 1, 19, 7 quod (tabernaculum) quotiens fuisset ingressus, columna nubis visebatur. Raro apud meliores scriptores legitur hic conj., apud arg. æt. scr. sæpius [1]).

Cum particula non infrequenter *indic. imperfecti* sibi subjectum habet. 2, 12, 3 die quodam, cum publicum convivium dabat, jubet. E 2, 14 quo ego ... fruitus sum, cum me unice diligebat. 2, 51, 9 cum maxime ... certabant ... habebatur. Cfr 2, 42, 3 ita gestum est, ut ... cum de fide disceptandum erat, adesset. M 2, 3 cum erat Martini oculis ingerenda, dissimulare non posset. (Apud Cic. crebro, raro apud scriptores, qui post eum fuerunt) [2]). Cum *perfecto historico* conjungitur. 1, 11, 9 cum summam a rege potestatem accepit, erat annorum XXX. D 1, 7, 5 istiusmodi ergo turbatione cum veni Alexandriam, fluctuabat. (Cfr Hoffmann p. 84 seqq.). — 1, 28, 7 cum bellum fuit, Judas dux belli assumptus est. 2, 14, 6 nam cum Holof. ... adversum Judæos duxit exercitum, Bag. in isdem castris fuisse memoravit. E 32, 5 neque majore umquam triumpho vicimus, quam cum decem annorum stragibus vinci non potuimus. (Cfr Hoffmann p. 82 seq. Dræger p. 522 seqq.).

Interdum ubi plusquamperfectum exspectaveris, imperf. post conj. *cum* legitur. 1, 20, 4 quas (coturnices) cum avide diriperent, primoribus labiis admotis carnibus interibant. 1, 24, 7 tot cladibus, cum peccaret, coercitum. M 20, 3 cum Maximus ... adfirmaret ... tandem ... venit. Chr. 2, 9, 5 hic cum Aegyptum atque Aethiopiam bello premeret et subegisset ... periit. M 17, 5 cui cum ut discederet imperaret et patrem familias ... arripuisset, sævire dentibus miser coepit.

---

[1]) Cfr Dræger l. l. p. 546 et 556. Dræger Tac. § 165.

[2]) Cfr Hoffmann Zeitpartikeln[2] p. 88 seqq.

Cum præsenti indic., ubi *dum* exspectes, conjunctum reperitur. 1, 33, 4 et cum per septem dies Samuelem opperitur ... rex ... holocaustum obtulit. Perrara exstant apud antiquiores script. ejusmodi exempla [1]).

Nonnumquam duo verba consociata eidem conjunctioni cum diverso modo subjiciuntur, id quod prosæ orationis script. numquam fecisse Madvig ad Fin. 2, 17, 61 affirmat (Cfr Dræger p. 551). 2, 51, 9—10 et nunc, cum maxime discordiis episcoporum omnia turbari et misceri cernerentur cunctaque . . . depravata, postremo plures adversus paucos . . . certabant . . .

In sententia per part. cum inducta, cui deinceps respondet *tum*, conjunctivus eadem ratione ponitur atque apud Cic. [2]). D 3, 5, 1 Hæc cum multis Avitiano referente conperta sint, tum nuper Ref. presbyter . . . a Dagrido . . . audivit.

Prægressa *vix* part. »cum inversum» sæpius apud Severum, sicut jam apud Verg. [3]), omissum reperitur. Exempla quære apud Halm.

Dum particulæ = »under det att» *imperf.* indic. subjectum est M 23, 1 frequenter autem diabolus, dum mille nocendi artibus sanctum virum conabatur illudere, visibilem se ei . . . ingerebat. Hic illic apud optimæ dictionis scriptores, sæpius apud Liv. [4]). Frequentius *conj. imperf.* occurrit. Exemplis ab Halmio collectis hæc addenda videntur. M 14, 6 dum . . . dirueret. D 1, 13, 8 dum . . . decerperet. Hæc structura apud antiquiores script. rarissima est [5]).

Insolenter admodum part. *dum* eodem sensu ac cum conjunctivus plusquamperf. legitur. D 3, 15, 1 dum . . . in . . . sedili ligneo resedisset, vidit (Halm. cum conjicit).

---

[1]) Cfr Hoffmann p. 70. Dræger l. l. p. 526 seq.
[2]) Dræger l. l. p. 553. Hoffmann p. 165 seq.
[3]) Hoffmann p. 164. Dræger l. l. p. 544.
[4]) Kühner l. l. p. 909. Dræger l. l. p. 575. Hoffmann p. 170 seq.
[5]) Hoffmann p. 171 seqq. Dræger l. l. p. 579.

Dum = »i det att» sæpius ita usurpatur, ut in eo lateat notio causalis. 1, 23, 4 dum brevitati studemus. 1, 23, 7 dum me temporum nostrorum piget tædetque. D 2, 4, 2 innumerabilia esse dicuntur, quæ dum jactantiam vitat, occuluit. (Interdum Cic. et poster.)[1]).

Jam supra exempla annotavi, ubi *indic.* post *dum* part. in or. obl. retentus reperitur (Arg. æt. Dræger l. l. p. 577).

Donec = »till dess att» sexcentis locis apud Severum occurrit et quidem sæpissime cum *perf. indic.* conjunctum. Cfr 1, 4, 4. 1, 14, 4. 1, 24, 3 et 4 et 5. 1, 29, 9. 1, 43, 3. 1, 46, 3. 1, 50, 4 M 4, 1. 16, 8, sæpius. (Cic. quattuor locis, nusquam Cæs. Sall.; Liv. autem et post. frequenter[2]). Cum *præsenti histor.* junctum: M 12, 4 ridiculam in vertiginem rotabantur, donec ... victi corporis onus ponunt. (Exempla Liviana laudantur[3]). *Conjunct. imperf.* subjicitur, ut consilium exprimatur. 2, 50, 8 nocentem ... redegit in custodiam, donec ad principem referret. Interdum etiam ibi usurpatur, ubi nulla consilii significatio excogitari possit. D 2, 5, 8 nequaquam adsurgere est dignatus adstanti, donec regiam sellam ignis operiret. (Conjunct. post donec part. occurrit apud Cat. (r. r. 54) Aug. ævi poët. Liv. post.)[4]).

Simili modo apud recentioris ætatis script. *conj. imp. quoad* particulæ subjicitur, ubi simpliciter temporis terminus, ad quem aliquid produci dicitur, significatur[5]). 2, 46, 7 et 8. Priscillianum non solum consensione, sed sub quadam conjuratione susceperant, quoad Hyginus ... comperta ad Ydacium Emeritæ sacerdotem referret. (Breviter dictum; supplendum videtur: »qui status mansit», quoad. Cfr Tac. ann. 13, 44 commoveratque quosdam

---

[1]) Cfr Dræger Tac. § 168.
[2]) Kühner l. l. p. 915. Kühnast p. 242. Dræger p. 584.
[3]) Cfr Dræger l. l. p. 584. Kühner l. l. p. 913.
[4]) Dræger l. l. p. 584 seq. Kühner p. 913 seq.
[5]) Dræger l. l. p. 588.

magnitudine exempli, donec ancilla . . . verum aperuit. Dræger Tac. § 169).

Quoadusque apud eccles. scr. solos legitur [1]) 2, 50, 6 quoadusque Martinus Triveris fuit. E 3, 13 qu. . . . jusserit, militabo. Cfr D 1, 26, 1.

Postquam cum *imperfecto* conjunctum est. 2, 49, 8 postquam se parum expurgabat, indignus esse episcopatu pronuntiatus est. (Interdum apud Cic. et Cæs., frequenter apud Liv., post., Hoffmann p. 9 seqq.).

Ubi insolentius *imperfecto* junctum reperitur. 2, 44, 3 ubi parum ad pacem proficiebant . . . evincitur. (Cæs. b. c. 2, 9; satis raro apud Sall. Liv. post.) [2]). Cum *plusquamperfecto* jungitur. 2, 38, 1 ubi doli parum processerant, vi agere decernunt. (Cic. Cæs. binis locis, sæpius apud Sall. Liv. Tac. præterea perraro apud arg. infimæque æt. script.) [3]). *Plusquamperf. conj.* de re semel facta legitur. 2, 39, 1 potestate regis usuri, ubi auctoritate sua parum valuissent. (Bell. Afr. 78. Vell. 2, 24, 4, præterea nullum ejusmodi exemplum Dræger invenit.) [4]). Cum *præsenti historico:* 2, 25, 2 ubi imparem se cernit, pacem simulat. (Plaut. Ter. Verg. Sall. Dræger p. 564 seq.).

Quod part. notione temporali usurpata est. D 2, 14, 4 quod autem hæc ab illo audivimus, annus octavus est. (Plaut. Ter. Quint. Plin).

Enuntiationes comparativæ. Conjunctivus de re sæpius repetita *prout* part. subjicitur. D 2, 13, 6 prout ad eum quisque venisset, suis nominibus increpabat. (Liv. 5, 47. Tac. Suet. Dræger II p. 626).

Aliquot locis *magis* vel *potius* ante *quam* omissum est. E 3, 2 seque adhuc tuos quam meos esse meminerunt. D 1, 27, 8 nec vero audita ab aliis quam quæ vidi ipse dicturus sum. (Plaut. Sall. Nep. Liv. post. Kühner l. l. p. 972).

---

[1]) Dræger l. l. p. 588.
[2]) Cfr Dræger p. 566. Hoffmann p. 11.
[3]) Dræger p. 566 seq. [4]) l. l. p. 568.

Sæpius formula *ac si* legitur vocabulo, quod similitudinem significet, omisso. D 1, 11, 5 tactu vero ejus ac si ante paululum focis esset ereptus. D 2, 3, 6 quæ cum omnia solo fixa ac si æneа signa riguissent. D 2, 13, 1 sedebamus ingenti horrore et tremore ac si excubias duceremus. Cfr M 17, 6. (Dig. Hand. I p. 472).

Frequenter conjunctiones ut, sicut, tamquam, quasi vi quadam causali adhibitæ reperiuntur. 2, 9, 1 ut pauci atque inopes parum proficiebant. D 2, 13, 3 sicut apud eum nemo familiarius loquebatur. M 5, 2 ne despexisse tamquam humiliorem videretur. D 2, 51, 4 tamquam viliores personæ et digni misericordia ... relegati. D 3, 7, 5 hæc nobis tamquam inconperta referebat. 2, 49, 2 quasi perturbator ecclesiarum reus postulatus. D 3, 2, 4 sed illis quasi sanctioribus nihil inpossibile fatebatur. — Pronomini relativo qui, vi causali posito, additum est. D 3, 15, 5 quasi qui se penitus vindicasset, rapidis ... gressibus recurrebat. (Jam apud principes sol. or. scriptores, conj. ut participiis hac notione interdum additur; Livio præeunte posteriores etiam ceteras conj. comparativas sæpius sic adhibuerunt) [1]).

Interdum *tam* — *quam* ita posita sunt, ut idem significare videantur atque *et* — *et*. 1, 38, 5 tam exteris quam domesticis motibus compressis florentissimum regnum in pace habebat.

Enuntiationes consecutivæ et finales. Ut particula minus usitate subjungitur locutionibus nonnullis et verbis. E 1, 14. in hoc ... ut (Sen. ep. 41, 5. Dræger II p. 558): D 1, 1, 5 propter hoc ... ut (Plaut. Ter. Cic. propterea ut Dræger p. 558). 2, 14, 8 erat indignissimum. 2, 50, 5 sævum esse et inauditum nefas. E 3, 8 spes tamen superest. (Cic. de am. 19, 68 spem adferunt, ut; Liv. post. spero, ut. Kühnast l. l. p. 231. Kühner p. 806). 1, 7, 4 sacramentum dedit, ut. 2, 14, 6 in argumentum adduxerim, ut. 2, 37, 3 eis color quidam subpetere videbatur,

[1]) Cfr Kühner l. l. p. 595. Dræger l. l. p. 651.

ut. 2, 37, 5 illud apud animos præstruentes, ut. (Liv. 28, 42, 7). M præf. 5 apud me decidi, ut. M 5, 3 multis obstrictus precibus, ut. (Cfr Just. 11, 3, 10 jure jurando se obstringere, ut. Kühner l. l. p. 803). 1, 21, 7 peccato ejus adscribitur, ut. 2, 11, 4 datis ad quæstores epistolis, ut. (Cfr Liv. 45, 34, 1 litteras mittere, ne). 1, 13, 7 non potuit vinci, ut. (Hor. epod. 17, 27. Tac. ann. 14, 60; præterea nusquam. Dræger l. l. p. 233). 2, 1, 6 Danielo, ut inter majores natu resideret, delatum. 1, 18, 1 poposcit, ut; cfr 1, 19, 8. 2, 1, 3. 2, 2, 1. 2, 11, 3. 2, 45, 3. D 1, 25, 6. D 2, 6, 4. D 3, 2, 4. (Tac. Juv. binis locis, numquam præterea. Dræger p. 239). E 3, 20 dum unusquisque et sibi præstat, ut... (Curt. 5, 5, 22 præsto, ne. Kühner p. 798). M 27, 4 sufficiet, ut. (Arg. æt. Kühner l. l. p. 816).

Ne part. insolenter legitur 2, 1, 3 causante Asphane, ne dissimulatum imperium regis consecutura macies proderet. Per breviloquentiam illam jam Ciceroni hic illic usurpatam. M 24, 8 hoc itaque gestum, ut supra rettuli ex ipsius Martini ore cognovi, ne quis forte existimet fabulosum (i. e. quod ideo commemoro, ne). Memorabilius est propter brevitatis audaciam 2, 34, 3 dinoscendi patibuli ... difficultas omnium animos mentesque turbaverat, ne errore ... latronis patibulum consecrarent (i. e. quod verebantur, ne. Cfr Tac. h. 2, 73. Dræger Tac. § 189).

Quin insolentius nonnullis locis usurpatur: 2, 29, 2 neque ulla re Nero efficiebat, quin ab eo jussum incendium putaretur. (Assimilem structuram apud Cic. Fin. 2, 8, 24). 1, 1, 2 non peperci labori meo, quin. E 2, 7 non possum mihi imperare, quin ... doleam. (Cfr Liv. 34, 31 nunc imperare animo nequivi, quin). D 2, 3, 8 nec ignorare jam poterant, quin ... tenerentur. (Cic. interdum. Cfr Kühner p. 833). D 1, 14, 1 nec facile umquam bestia falleretur, quin (si modo locus sanus est. Halmius »falleret» conjicit; quæ constructio est apud Cæs. b. c. 3, 94 et Bell. Alex. 22. Dræger p. 640). D 2, 3, 7 nec jam ultra dissimulare poterant, quin (Gell. 7, 3, 40 dissimulari ... non posse ... quin).

Ut post multa verba et locutiones omissum invenitur. 1, 7, 4 vox missa de cælo est. 1, 7, 4 impero; cfr 2, 10, 1. M 11, 4. D 2, 9, 6. 1, 12, 6 obtestor. 1, 15, 1 mandatis Dei instruitur. 1, 26, 4 responsum redditum. 1, 26, 5 missis legatis. 1, 27, 2 dictum ei est. 1, 41, 4 admonetur. 2, 4, 4. hortari. 2, 21, 6 adhortatus. D 1, 2, 3 quæso; cfr D 2, 8, 4. D 2, 13, 5. Nonnulla illorum verborum etiam apud veteres script, hic illic ita struuntur [1]).

Vix opus est annotare, formulam *ita* — *ut* vi restrictiva adhiberi. 1, 1, 2 ita brevitate studens, ut pæne nihil gestis subduxerim. M 10, 2 adque ita inplebat episcopi dignitatem, ut non tamen propositum monachi virtutemque desereret. (Cic. Suet. Dræger Tac. § 184).

Enuntiationes causales. *Quia* cum conjunctivo insolenter sæpius junxit Severus. Locis ab Halmio collectis hi addendi videntur: M 3, 2. 21, 1.

Similiter conj. sæpissime post *siquidem* legitur e recentissimæ maxime ætatis consuetudine [2]). Exempla e Severo petita larga manu suppeditat Halmius. Cfr præterea 1, 39, 4. 1, 40, 1. D 2, 4, 3. Conjunctioni quum additum. Vide Halm., Nonnullis locis »postpositum» = enim. Exempla quære apud Halm.

Interdum *quatenus* eodem sensu ac *quoniam* adhibitum reperitur. D 1, 12, 5 faciam, quod præcipis, quatenus tam studiosos esse audiendi vos video. (Poet. recent. æt. script. Dræger l. l. p. 651),

Cur = *quod* liberius etiam atque sæpius quam apud poet. Liv. cet. post. æt. script. [3]) verbis quacunque notione adjungitur. Exempla copiose collegit Halm. Cfr etiam D 3, 15, 2.

Enuntiationes conditionales. Jam primum attendas ad illam condit. enunt. formam, qua in protasi præsens vel perfect. conjunctivi, in apodosi præs. vel futur. indic. positum est, qua structura consecutio, quæ e conditione efficitur, ut certa indicativo effertur. D 2, 11, 6 contemptibilem

---

[1]) Cfr Kühner l. l. p. 808 seq. Kühnast p. 227.
[2]) Cfr Dræger II. p. 712. [3]) Dræger l. l. p. 454.

enim reddit exercitum, si virorum cohortibus turba feminea misceatur. (Hujus generis exempla licet hic illic occurant apud Cic., rarissima sunt apud Cæs. et Liv. atque etiam apud poster., si Tac. exceperis [1]). — M 21, 2 si ei munera crebra mittantur, Dei se magnificentia adseret honorari. D 2, 7, 4 illi vero felices erunt, si non ... recedant. (Apud Plaut. Ter. Lucr. aliquot locis; apud ceteros latinitatis script. rarissima est hæc structura [2]). - Frequentius apud Severum *perf. conj.* in protasi dicitur et quidem de re sæpius repetita: 1, 4, 6 nullam occasionem, si quæ tibi porrecta fuerit, omittis. D 1, 10, 1 si qui majorem virtutem mente conceperint... discedunt. D 3, 16, 1 si fuerit offensus, insanit. (Cic. Cat. 1 § 31. Tac. duobus tribusve locis) [3]).

Plusquamperf. conj. de re sæpius repetita conj. si subjungitur. M 21, 5 si quotiens accidisset, providebat. (Exempla ejusmodi conjunctivi temp. imp. vel ppf. singulis tantum locis exstant apud Cic. Cæs. Sall. Dr. p. 703). Vulgati usus exemplum est: D 3, 6, 2 si quotiens extulerat...

Nonnulla deinde ejus generis annotemus exempla, quo in apodosi *indicat. perf.* in protasi *plusquamperf. conjunct.* adhibitum reperitur, ubi sententiarum nexus quodammodo dissolutus videtur. M 1, 1 plerique mortales ... exinde perennem .. memoriam .. quæsierunt, si vitas clarorum virorum illustrassent. M 13, 4 facilemque arboris suæ habuere jacturam, si inimicum ... obruissent. 1, 35, 3 lancea eum ferire conatus est, nisi ille letalem ictum propere declinasset. (Per ellipsin illam dictum). Perraro apud Latinos hæc structura occurrit) [4]).

Imperfectum conj. pro *plusquampf.* in protasi sæpius posuit Severus. 1, 30, 2 si puer nasceretur, sacrandum Deo. I, 43, 7 ut, si cujus cæsam hostiam ... ignis absumeret, rata esset... 2, 4, 5 sin Aegyptum peterent, omnes ibi ... perituros. E 2, 10 si .. inter alias.. victimas duceretur, —

---

[1]) Cfr Dræger l. l. p. 688 seq. [2]) Dræger l. l. p. 690 seq.
[3]) Cfr Dræger p. 689 seq. [4]) Dræger Tac. § 194.

palmam sanguinis occupasset. Cfr D 2, 1, 6. 3, 13, 1. (Cic. et Liv. non ita raro. Cfr Dræger II. p. 694).

Plusquampf. conj. pro conjug., quæ vocatur, periphrastica usurpatum reperitur. 2, 12, 2 quia non sit verisimile, ut, si .. fuisset .. nullam mentionem retulisset.

Si sequente *forsitan* = »om möjligen, för den händelse att» nonnumquam dicitur 1, 54, 2 qua tempestate Hieremiam .. consulit, si quid spei forsitan superesset. 2, 45, 3 aderat ibi tum Hilarius .... operiens imperatoris voluntatem, si forsitan redire ad exilium juberetur. (Apud veteres script. si vel si forte hic illic ita adhibetur. Dræger p. 706 seqq.).

Si tamen idem fere significare videntur ac *si modo*. 2, 9, 7 si tamen investigatio Romanorum consulum non fefellit. D 2, 4, 3 cujus rei ego testis sum, si tamen nihil de idoneo teste dubitatis. (Ov. post. Dræger II. 711).

Nisi si apud Severum legitur. 2, 14, 2 nullum hoc nomine ... repperio, nisi si quicumque ille rex Nabuch.... vocitatus est. (Hic illic apud antiquiores et post. Dræger p. 721 seq.).

Nisi quod nonnullis locis occurrit. 1, 36, 3 de ætate .. parum certa comperimus, nisi quod in actibus Apostolorum XL annos regnasse dictus est. Vi adversativa dictum videtur. M 25, 8 quamquam in Martini virtutibus quantula est illa laudatio! nisi quod mirum est... Simplex nisi sic adhibetur. D 3, 11, 11 fertur ille vir .. adversus avaritiam parum consuluisse, nisi regni necessitate .. facile excusabitur. Cfr Chr. 2, 28, 2, quem locum Halm. laudat. (Ejusmodi exempla jam apud veteres interdum occurrunt. Dræger p. 227 seq. et 723 seq.).

Breviloquentia illa, cujus etiam apud antiquiores script. exstant exempla [1]), usurpata invenitur. D 1, 25, 1 si revolvas, quod anachoretis feritas bestiarum victa succubuit, hic .... et rabiem bestiarum et ... compescuit. Cfr D 1, 25, 3.

Enuntiationes concessivæ. Conjunctioni *quamquam* sæpius conjunctivus subjicitur, etsi de factis vel rebus certis

[1]) Cfr Madvig l. l. § 440 anm. 6.

agitur. E 2, 12 quamquam ista non pertulerit. Cfr D 2, 5, 3. 3, 17, 7. (Numquam optimos sol. or. script. in ejusmodi enuntiatis conj. usurpasse docet Dræger l. l. p. 737). Contra indic. legitur Chr. 2, 18, 3. Frequenter etiam in »sententiis exceptivis» conjunctivum sibi subjectum habet. Exempla quære apud Halm. Rarius indic. in ejusmodi enuntiatis occurrit. Cfr 2, 9, 8. M 1, 8. 25, 8.

Licet conjunctionis natura ita plane induit, ut conjunctivus cujuscunque temporis ei subjungatur. 2, 40, 6 Licet ... superiores viderentur; cfr D 1, 15, 3. 3, 12, 2. E 3, 6 licet... non ignorasset. (Inf. æt. script. Kühner p. 960).

Particulæ *etsi* interdum conjunctivus subjicitur, ubi concessio ut certa indicativo proferri debebat. 2, 13, 6 etsi certa pestis adesset; cfr D 3, 17, 3 (Justin. Lact. Dræger p. 735).

Quamquam et *quamlibet* et sæpissime *licet* ita usurpantur, ut non ad verbum finitum sed ad adjectivum vel participium aut adverbium adverbialesque locutiones relata inveniantur. 1, 54, 1 quamquam sine viribus. D 2, 3, 7 quamlibet brutis pectoribus. 1, 54, 4 licet impius; cfr 2, 30, 2 et 7. 2, 45, 9. 2, 51, 6. M 1, 2. 3, 5, 22. 6, 27, 3. E 2, 9. D 1, 13, 7. D 1, 15, 3. 3, 18, 2. D 1, 13, 5 licet raro. M 4, 8 licet inter hostium gladios. Plura hujus usus exempla infra afferemus.

Ad ultimum jam, antequam totam quæstionem nostram absolvamus, de usu gerundii, gerundivi, supini participiorumque breviter dicendum est.

Ablativus gerundii crebro cum accusativo objecti conjunctus ponitur. 2, 2, 1 enuntiando somnium. M 1, 3 legendo Hectorem pugnantem aut Socratem philosophantem. 25, 5 vendendo omnia et dando pauperibus. D 3, 5, 2 ostendendo humilitatem nec differendo pietatem. (Hic usus satis rarus est apud optimæ depravatæque latinitatis script., frequens apud Liv. Dræger p. 813. sq.).

Præpositioni *super* = *de* abl. gerundivi subjicitur. 1, 19, 2 super ædificando tabernaculo... edoctus. 2, 10, 5 ni-

hil super reficienda urbe egisse comperio. (Tac. ann. 15, 5. Dræger p. 818. Kühner p. 563).

Accusativus gerundii inter præp. subjungitur. M 26, 3 et 4 inter legendum ... inter operandum. D 1, 27, 7 inter militandum. (Poet. Liv. post. Kühner p. 559. Dræger p. 817).

Dativus gerundivi apud Severum multis locis adhibitus invenitur, ubi enuntiatio finalis exspectares. 1, 53, 4 quæ turba exercendis colendisque agris deputata. 2, 11, 5 construendis interius domibus urbem dimensus est. D 1, 18, 4 (clibanus) qui ... coquendis panibus parabatur. D 3, 3, 2 ut pars summa umbonibus obstruendis libera relinquatur. 3, 14, 6 redimendis id captivis deputavit. (Liv. post. Dræger p. 809 seqq.). Insolenter ex substantivo, quod est virtus pendet. E 1, 7 sed his (periculis) tolerandis adque vincendis præcipuam semper justorum fuisse virtutem.

Creberrime apud Severum gerundivum loco futuri passivi usurpatum reperitur. Exempla copiose suppeditat Halmius. Cfr præterea 1, 8, 1. D 1. 19, 1. 2, 14, 1. (Jam apud Cæs. et Liv. manifesta hujus usus vestigia inveniri Aubert [1]) demonstrare studet, impugnatque sententiam Madvigii, qui docet [2]), neminem ante Lactantium et Hieronymum sic scripsisse. Apud scriptores tertii seculi prima ejusmodi exempla exstare Dræger l. l. p. 791 commonet).

Supinum in -um exiens cum accusativo objecti conjunctum reperitur, id quod apud Cic. satis raro fieri Kühnast (p. 259) auctor est. 2, 4, 2 ultum ire facinus. 1, 44. 5 cladem ultum ire. Præterea annotandum est, supinum seq. ire his locis circumlocutionem quandam esse simplicis verbi, quoniam futuri temporis notio in verbo finito lateat. (Sall. Liv. post. Zumpt § 669 ann). *Supinum in -u* desinens insolentius aliquot locis legitur, 1, 13, 1 incredibile memoratu (Sall. Cat. 6, 2. Cic. et Liv. nusquam nisi cum

---

[1]) Cfr Aubert Den latinske Verbalflexion p. 298 seqq.
[2]) Ad Cic. Fin. p. 17.

«dictu». Zumpt § 670). M 25, 5 facto inpossibile D 1, 17, 8 indignum toleratu (Liv. post. Kühner p. 536).

Jam si de *participiis* videamus, primum commemorandum est, partic. præsentis sexcentis locis usurpari nulla consecutionis temporum ratione habita. Sic pro participio perfecti dictum videtur. M 6, 4 Italiam repetens . . . sibi monasterium statuit. 18, 4 ad ecclesiam veniens gratias . . . agebat. D 3, 11, 6 erat cura ne se . . . adveniens . . . abstineret. Sæpissime illa consuetudo in structura, quæ abl. conseq. vocatur, occurrit. 1, 8, 4 hortante matre . . . confugit 1, 10, 7 suadente Juda . . . vendiderunt. 1, 17, 1 mandante D . . . fecit. 1, 35, 7 hortantibus cunctis . . . abstinuit. 2, 1, 5 falso crimine incessitur, isdem presbyteris deferentibus. 2, 12, 6 mandante educatore genus occultavit. 2, 47, 6 Ydacio supplicante . . . elicitur . . . rescriptum. M 2, 5 prodente patre . . . inplicatus est 13, 2 cum imperante D . . . quievissent. D 2, 7, 4 viro supplicante . . . regina servivit. D 2, 9, 4 jubente M . . . petiit et sic sæpius. Paulo alia est ratio horum locorum, ubi simpliciter res adjuncta rei enuntiatione primaria narratæ significatur. 2, 28, 5 populo inspectante diruptus est; cfr M 8, 3. 14, 6. 16, 4. D 1, 10, 3. 2, 1, 5. 2, 4, 5 et sæpe alibi. Crebro effectus quidam profectus ex actione in primaria sententia pronuntiata illo modo exprimitur. 1, 32, 1 pax . . . turbata, trepidantibus cunctis. 1, 14, 4 sciniphibus terra oppleta est, Chaldeis fatentibus, majestate divina ista fieri. 1, 12, 5 J. in Aegyptum descendit, Aegyptiis admodum lætantibus, gaudente rege. 2, 34, 5 trepidantibus cunctis funus excussum. M 18, 3 leprosum . . . horrentibus cunctis osculatus est. Cfr Chr. 2, 21, 4. M 20, 3. D 3, 2, 7. Interdum pro *futuro* part. præsens usurpatum videtur. 2, 27, 1 jam adventante Christo necesse erat . . . suis eos ducibus privari. 2, 24, 3 regnum patrium repetens, ut sibi sit auxilio, implorat. D 1, 1, 3 quæ (navis) Narbonem petens solvere parabat. Vestigia certe hujus part. præs. usus apud antiquiores et meliores script. exstant [1]).

---

[1]) Dræger II. p. 744 et 759. Kühner I. 1, p. 92.

Similiter participium perf. creberrime adhibitum reperitur, ubi actio participio expressa non ut antecedens, sed subsequens aut tempore eodem, quo altera in enuntiato dicta, eventum habere legitur. Ut sæpius jam apud optimæ latinitatis script. participia verborum deponentium sic usurpantur [1]), velut: arbitratus 2, 45, 5. M 6, 4 (Cic. Cæs. Sall.) aspernatus 1, 25, 8. ausus 2, 10, 2. 2, 35, 5. 2, 37, 6. 2, 38, 5, sæpius (Liv. Tac. Justin.) confessus 2, 5, 4. conatus 2, 31, 3 (Verg.) cunctatus 1, 15, 6. 2, 13, 8. D 1, 18, 4. 2, 2, 3. 2, 4, 9. 2, 13, 4. 3, 2, 5. (Tac.). complexus E 2, 4, (Cic. Cæs. Tac. Verg.). contestatus M 5, 3. diversatus 1, 13, 5. frustratus D 3, 11, 7. miseratus D 1, 14, 5. (Hor.). obtestatus 1, 9, 4. protestatus D 1, 5, 6. ratus 1, 3, 3. 1, 9, 4. 2, 15, 8. 2, 19, 6. 2, 47, 6 sæpius (Sall. Verg. Liv. post.). veritus 2, 2, 1. (Cæs. Sall. Liv. post.). secutus 2, 6, 6. 2, 45, 3. M. 5, 4. 25, 4. (Cæs. Verg. Liv. post.). Cfr deinde confisus E 2, 10. D 2, 2, 4. (Cic.) diffisus 2, 10. 2. 2, 47, 7 (Cic.). Neque vero insolens est hic usus in participiis perf. verborum passiv. imprimis in structura abl. absol. 1, 20, 8 partem populi hostibus cædendam objecit, exploratoribus interfectis. 1, 12, 1 filios in Aegyptum misit, Benjamin tantum domi retento. 1, 11, 7 rei eum annonariæ præfecit, æquato secum imperio. 1, 49, 4 populum . . . abduxit, Assyriis in hostili solo ad custodiam positis. 2, 33, 7 excussis in ora apponentium sæpe marmoribus. 2, 41, 1 promisso eidem consulato. 2, 29, 1 Nerone apud Antium constituto. M 4, 9 subactis sine sanguine hostibus. D 1. 1, 4 te audiam, tecum loquar, nullo penitus in secretum nostrum admisso. D 3, 4, 1 disponit postero die adtonita civitate ad opus triste procedere. Etiam apud optimos sol. or. script. consimilia exstant exempla nonnulla, inf. autem ætate hanc structuram esse rarissimam Dræger opinatur [2]).

Frequenter loco nominum verbalium usurpatur participium perf. et quidem crebro in genitivo, qui casus apud

[1]) Cfr Dræger l. l. p. 746 seqq. Kühner p. 567 seq.
[2]) L. l. p. 765.

Cic. perrarus videtur esse [1]). 1, 27, 3 dolore ereptæ conjugis. 1, 27, 4 abreptæ uxoris injuriam. 1, 22, 2 principio suscepti imperii. 1, 53, 6 solacio depulsæ calamitatis. 2, 11, 7 consummatio restitutæ urbis. 2, 11, 9 tempus restitutæ civitatis. 2, 16, 7 tempus Hierosolymæ restitutæ. D 1, 3, 6 ex die jacti seminis. D 2, 13, 8 tempus habiti concilii. Cfr præterea 2, 15, 3 admotus exercitus magno Judæos terrore perculerat. 2, 14, 5 Apim in Deum receptum irrisisse traditur. 2, 1, 4 ne dissimulatum imperium macies proderet. 2, 15, 7 iratum aut placatum Deum ... expertos. 2, 45, 6 partium vires amisso duce infracta. 2, 51, 7 Priscilliano occiso non solum non repressa est hæresis. D 1, 11, 1 verbera victo serpente meruisse. D 1, 13, 7 quo viso intremuimus. — Chr. 2, 30, 8 ob illatas impias manus. E 2, 7 post evictum mundum triumphatumque sæculum. 2, 5, 6 post devictum Sedechiam. (Simili modo sæpissime Min. Fel. adhibet part. perf. Cfr 6, 2. 7, 4. 13, 2. 28, 6. 29, 3 cum exstincto homine. 28, 5 de infantibus immolatis; cfr 28, 10. Crebrior igitur multo quam grammatici opinantur [2]) hic usus apud inf. æt. script. videtur esse).

Participium futuri activi multis locis vices enuntiationis secundariæ sustinet. M 1, 3 occasura. D 3, 11, 6 non defuturis. Sæpissime pro enuntiato finali. 1, 1, 3 locuturus. 1, 17, 2 futurus. 1, 17, 5 auditurus. 1, 26, 6 exceptura. 2, 39, 1 usuri. 2, 50, 6 discessurus. M 1, 5 futuram. 4, 6 facturus. 16, 3 rogaturus 24, 5 descensurus. E 3, 15. iturus. D 1, 10, 1 acturi. 1, 16, 1 victurus. 1, 17, 8 recusaturus. 2, 1, 9 oblaturus. 2, 14, 4 sumpturus. 3, 18, 1 petiturus. Numquam fere apud Cic., sæpe apud Liv. et post. part. fut. act. sic adhibetur [3]). Sequente enuntiato conditionali 2, 38, 5 ante capturus fugiendi

---

[1]) Dræger II p. 751.

[2]) Post Justini æt. unum tantum ejusmodi locum se invenisse (Capitol. Ant. Ph. 12) Dræger II p. 756 dicit. Kühner l. l. p. 575 docet, hanc structuram post Livii ætatem insolentem fieri.

[3]) Dræger p. 745 seq.

spatium, si quid contra accidisset (Liv. post. Dræger II p. 775. Kühner p. 569). In abl. absoluto. D 3, 11, 6 non defuturis, qui sequerentur. (Hic illic apud Liv. et post. Dræger II p. 761).

Ablativus absol. sæpenumero contra legitimum usum adhibitus reperitur, 1, 11, 8 abundantibus per totam Aegyptum frumentis, magnam copiam congessit. 1, 12, 2 quibus ille visis . . . hostiliter eos venisse . . . arguebat. 1, 19, 4 immorante diutius Moyse . . . populus, desperato ejus reditu. 1, 19, 8 poscente M. . . . est responsum. 1, 26, 1 defuncto G. . . . filius ejus . . . regnum occupavit. 1, 27, 3 vulpibus captis . . . eas . . . inmisit. Cfr 1, 37, 1. 1, 42, 7. 1, 46, 3. Neque vero similia apud optimos script. desunt [1]).

De subjecto sententiæ primariæ inter ablativos interposito docet Dræger (p. 762), hunc usum apud inf. ætatis script. perrarum esse atque inde a Sall. et Livii ætate numquam inveniri, nisi in pronominibus, quæ sunt quisque et ipse, id quod Severianis exemplis refellitur. 1, 12, 2 quibus ille visis . . . hostiliter eos venisse . . . arguebat. D 3, 4, 3 qua ille voce percepta lecto suo turbatus excutitur. Chr. 1, 52, 4 quibus Josias in pulverem redactis sacerdotes . . . interfecit.

Impersonaliter, ut ajunt, abl. absol. usurpatur. 1, 34, 6 sed e proelio reversis multus circa David favor invidiam regis accenderat. (Rarissima esse hæc structura videtur. Cfr Dræger p. 760).

Frequentius autem pron., quod in structura ablativi absol. subjecti vices sustinere debebat, omissum invenitur, si sequitur enuntiatio relativa. 2, 43, 4 compertis, quæ decreta erant. 2, 48, 5 calcatis, quæ . . . 2, 49, 2 compertis quæ gesta sunt. (Liv. Suet. Tac. Dræger p. 763).

Satis raro apud Latinos part. perf. *verb. depon.* ad structuram abl. absol. adhiberi grammatici docent [2]). Apud

---

[1]) Cfr Dræger II p. 779 seq.

[2]) Dræger l. l. p. 765 seq.

